

MANIFESTATIO, OSTENSIO, ET APOLOGIA.

INTEGERRIMÆ ÆQVITATIS, ET SYNCERITATIS, QVA Reverendiſsimus P. Fr. Antonius Folch de Cardona, Commiſſarius Generalis totius Patris noſtri Seraphici Sancti Franciſci Religionis, Indiarumque, ſe geſsit in Cauſa Apoſtaſiæ Patris Fratris Iacobi Vitoria.

APERIUNTUR FICTA, SIMULATAQUE INIUSTI gravaminis motiva, quibus æquiores, benigniores ſquè Reverendiſsimi Patris operationes aliqui notare conati ſunt; ſimulquè deteguntur fallaces ſpecies, ſivè apparentiæ Libellorum, qui in Vulgus prodierunt.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in Conſilijs, quibus cogitant. Pſalm. 10. verſ. 2.

1 DUO ad nos devenere Libelli typis mandati; alter Latinus, Hispanus alter (quamquam perperam idiomate isto donatus). Ad nos quoque fama perlatum est, innumerabiles huiusmodi Libellos in varijs partibus esse dispersos, & in omnibus publicis Valentinæ Civitatis, Regni Villarum, oppidorumquè locis affixos, ac in remotiores Hispaniarum Civitates, ac Villas Dominis Episcopis, alijsque Prælatis, & diversis Dynastis, ac Regij domicilij Ministris non minori arroganti contentione, quàm sinistra intentione transmissos.

2 Titulus, quem Latinus Libellus præsefert, sic se habet: *Sententia declaratoria inno entiæ, & Iustitiæ admodum Rever. P. Fr. Iacobi Victoriæ*: pariterquè se habet suo idiomate Hispanus, in quo supponitur, iuridice pronuntiatum esse, ac declaratum P. Victoria in Apostasiam, & excommunicationem non incidisse ob fugam, quam ex AlonensiConventu, prætextu recursus coràm R.mo Ministro Generali, arripuit.

3 In Latino dicitur *Genuæ* excusus, & in Hispano *en Genova*; nec sine numine factum est, vt diceretur Genuæ prælo commissus; inter regulares enim huiusmodi editio ferenda nõ erat; at quoniam eam permisserunt, æquivoco nomine vti voluere, vt significarent hoc in eventu Genuam Hispano *Genova*, in Genuam Hispane *Ginebra* merito commutari, & æquissimè dolendum est tanto crimini nullum irrogatum esse supplitium, tantoque morbo nullum adhibitum fuisse remedium quando è *remedio* exorta fuit causa damni.

4 Continet vterque Libellus adscititium sex gravissimorum Seraphici Ordinis Patrum Litteraturæ gaza divitum, virtutisque splendore illustrium Consilium, (quod sententiam antecedit), & sola ocularis illius inspectio denotat illud suppositicium esse, ac confictum; cum incredibile sit adeò doctos, attentos, religiososque Consultores, oblitos fuisse observantiæ, & Reverentiæ, quam R.mo P. Commissario Generali Fr. Antonio Folch à Cardona deferre debent; multoque minùs credi potest, eos vlla ratione tulisse, vt suum Consilium inscriberetur clausula illa asserente, obtentas fuisse Apostolicas Litteras à *Romano Nuncio*, quin *el Illustrissimi, & Reverendissimi* titulum DominoNuncio tanta ratione debitum, tantoque Iure promeritum exhiberent. Nec cuiquam prudenti poterit non mirum videri, à religiosissimis, doctissimisque illis Patribus hanc clausulam emanasse: *Subreptitiè impetratarum cum audientium magna admiratione, inauditoque à sæculis scandalo.*

5 Nulla etiam ratione suaderi potest, P. Victoria à prudentissimis illis Patribus Admodùm R.mum Patrem Voçari; R.mum verò P. Commissarium Generalem ab eis sæpiùs *R. P. Commissarium* nominari; & R.mum Ministrum Generalem nunc *R.mum P. Generalem*; nunc *Ministrum Generalem* tantummodo appellari.

6 Incredibile quoque videtur quod R.mus P. Minister Generalis tanto splendore doctrinæ præditus Thesauro prudentiæ Dives & Gazis Polytice Religiose locupletatus, fulgoribus virtutum omnium splendens, Pacis amator vrbanitatis cultor, & vinculo amicitiæ cum R.mo P. N. Commissario Generali strictissimè copulatus tale consultum permitteret, adhuc supposito per impossibile, quod tam doctissimi, & Religiosissimi Patres possent talia consulere.

7 Efectusque rem omnino comprobavit nam illico, quod ad notitiam nostri R.mi Patris Ministri Generalis pervenit maliciosa fictio consulti, & subsequutæ sententiæ, eius criminosa impresio, & scandalosissima divulgatio, statim super atrocissimo scelere stupens, misit suas Patentes Litteras Provinciæ Valentiæ directas, sua manu subscriptas, maiori sigillo ordinis munitas, & à suo Secretario Generali roboratas, quæ expeditæ fuere die 25. Ianuarij currentis anni 1699. quarum hæc inscriptio est: *Frater Matthæus à Sancto Stephano Sacræ Theologiæ Lector iubilatus, & totius Seraphici Ordinis Sancti P. N. Francisci Minister Generalis Servus, &c. Dilectis nobis plurimum in Christo Patribus, & Fratribus, Superioribus, & Subditis Almæ Provinciæ nostræ Observantium Valentiæ salutem, & charitatem.*

8 Sicque incipiunt. *Gravis aures nostras percusit sonitus, quod non sine bonorum omnium scandalo, nostratum mœrore, & extraneorum Cachinno in Regno Valentino apparuerit aliquod foleum, quod*

Genuæ Hispanica Lingua videtur impressum, quasi esset votum, seu Consultum nobis inscriptis exhibitum à gravissimis huius Familiæ Cismontanæ Patribus.

Et post pauca prosequitur: *Quoniam verò quicumque ille fuerit ex nostris Subditis, qui præfatum folium impresserit gravissimam à Capitulo Generali Victoriensi fulminatam Censuram propter effrontem, & Ordini, ac veritati iniuriosam impressionem incurrit; vt in Tabula Actorum memorati nuperrimi Capituli Generalis, & in præcedentis Congregationis Generalis Victoriensis utis ubundè, & aperte liquet, Nos Spiritu Sancto invocato præsentium tenore, & virtute omnes, & singulos Nobis subiectos, qui in dicti folij impressione partes habuerint, sive mandando, sive sollicitando, sive exequendo excommunicamus, & in excommunicationem maiorem statutariam incidisse declaramus sibi, & successoribus suis Ministris Generalibus illius absolutionem excommunicationis reservando.*

9 Deinde dat comisionem, & facultatem R.mo P.N. Commissario Generali, vt in dicta Provincia per se, vel per alium super tali impressione processum rigorosum instituat reservando sibi, & suo Tribunali ius ferendi contra delinquentes sententiam, ibi: *Cuius tamen expeditionem, & sententiam nobis, & Tribunali nostro, de cuius primò, & principaliter iniuria agitur reservamus*; quas Litteras Patentes intimari in Communitate iubet in omnibus Conventibus memoratæ Provinciæ Valentinæ, & in Regesto, tàm Provinciæ, quàm Conventuum ad litteram transcribi, & asservari, & dans rationem prosequitur R.mus Pater Minister Generalis, ibi: *Ad perpetuam rei memoriam folijque impressi detestationem.*

10 Quæ Litteræ Patentes in quibus R.mus P. Minister Generalis aperte exprimit falsitatem illius folij, detestandumque facinus in illius fictione, impressione, & publicatione commissum, licèt fuerint missæ ad R.mum P. N. Commissarium Generalem, vt media sua authoritate in dicta Provincia Valentina notæ fierent; abstinuit nihilominus R.mus Commissarius Generalis ab illarum publicatione, ne de novo illaquearentur conscientiæ vinculo excommunicationis, & ne Religiosi dictæ Provinciæ novis agitarentur tempestatibus; reservando notificationem in opportunum tempus in quo ex illarum lectura fructus maturi, & non pungentes tribuli, & horribiles spinæ colligantur.

11 Supponit Consultum Reverendissimum P. Commissarium Generalem esse P. Fr. Iacobi Victoria inimicum, quod iste ei in Provincialis Valentinæ Provintiæ Capituli proximè celebrati electione morem non gesserit, sed ab eo maximè discesserit; & ob hanc causam R.mum P. Commissarium Generalem ei minitatum fuisse, eumque esse persequutum, & in Alonensi Cœnobio eum reclusisse, duosque deputasse Commissarios, de quorum vno omnium, qui in hac causa processerunt; vt patet ex pluribus, varijsque prædictorum libellorum periodis, & inter alias ex illa: *Malus illius animus convincitur*, & ex illa alia: *reliquum esset allegare super inauditis in religione scandalosis gravaminibus publicandi prætensam Apostasiam P. Victoria eo modo, quo practicavit Reverendissimus Pater Commissarius Generalis*; & demum ex illa: *Pro Successore eligendo verbis minacibus contra Patrem Victoria prolatis*; & ex illa: *Orta ex malevolentia.* Et Doctrinis regularem observantiam relaxantibus, omnibus Religiosis suadetur, posse eos tuta conscientia obedientiæ iugum à se excutere, reddendo contemptibilia superiorum præcepta.

supponuntur blasphemiæ terminis male sonantibus detractivis honoris, famæ, & æquitatis

12 Interpres, sivè Traductor adimit, & addit pro libito; & vel Latinas voces non intellexit, vel solas eas, quæ contemptum, detractionem, obedientiæquè relaxationem significant fidelitèr expresit.

13 Non ambigimus, titulum, & Consilium, sivè Consultorum votum esse Libellum famosum, & tàm eius inventorem, quàm eos, qui illum Typis mandarunt, dispersérunt, & evulgarunt gravissimas pœnas promereri: sic cautum statutumque habetur in duodecim Tabularum Legibus l.53. quam explicat Franciscus Balduinus *in tractat. de legibus Romuli, l. quod Senatus Consultum 6. ff. de iniurijs, l. vnica, C. de famosis Libellis, l.7. & final. de famosis Libellis, C. Theodosiani*, quod & eruditè expendit Regens Matheu *de re criminali, controv.74. à n.13.*

14 Hoc procedit, sine hæsitatione, cum famosus Libellus in Principem, illiusque Vicarium, aut Supremum Magistratum dirigitur; tunc enim in crimen Maiestatis læsæ transfunditur, *Leg.1. §.1. l.6. cum seqq. ff. ad Legem Iuliam Maiestatem*, Farinacius *quæst.195. n.478.*

Cas

Cavall. *resolut. criminal, casu* 235. *num.* 22. Berbichio *Conclusiones iuris* 5. *part. conclus.* 67. *num.* 69. Villaroel *in suo Regimine Politico Ecclesiastico, part.* 2. *quæst.* 11. *artic.* 3. *num.* 22. Dom. Laurentius Matthæu *dict. controv.* 74. *num.* 15. ibi: *Quæ quidem pœna aggravanda est, si famosus Libellus contra Principem, vel eius Vicarium, aut alium ex Supremis Magistratibus fiat, vel edatur, nam his, & alijs similibus casibus in crimen læsæ Maiestatis transfunditur; & sub hac dispositione comprehenduntur facientes, legentes, retinentes, invenientes, & non lacerantes.*

15 Idque locum habet, non modò, quando commentitium falsumque est, quod in famoso continetur Libello; verùmetiam cum in illo nunciantur vera, scribuntur certa: *Leg. unica, Cod. de famos. Libellis, leg.* 1. *Cod. Theodosiani, eodem tit.* D. Laurentius Matthæu *de re criminali, controv.* 74. *num.* 19.

16 Nec obstat, quòd motiva allata sint iuridica, & pro defensione Rei. Primò, quia hæc non est defensio, sed offensio Iudicis *à quo*. Secundò, quia Libellus infamis etiam est allegatio in Iure, si in illo continentur verba denigrativa famæ, aut injuriosa verba: sic Amenus in terminis, tit. 2. *Quales*, §. 2. *num.* 41. ibi: *Quando evulgatur aliqua allegatio in iure, & hoc incidenti Author inserit in ea dicteria, scommata, sarcasmos; & satyrizat, maledicis verbis aliquem ad denigrandam eius famam, sivè in scientia, sivè in moribus; aut cùm, data opera, componuntur, divulgantur, sparguntur, aut in publico affiguntur.*

17 In nostra Seraphica Religione reperitur speciale huius rei statutum *cap.* 7. §. 5. *numero* 65. ibi: *Qui tacito nomine Libellos famosos fecerit, miserit, proiecerit, vel quovis modo exposuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. Quòd si in Generalis, aut Provincialis infamiam facti fuerint, absolvi non possint, nisi per Generalem, aut eius mandato, satisfactione præmissa, & convicti, ad superiorum arbitrium carcerentur.*

18 Et quamvis Reverendissimus Commissarius Generalis non sit Religionis Princeps, eisdem tamen pœnis coerceri debet, qui in Reverendissimam suam Paternitatem deliquerit, ac qui in Rmum. P. Ministrũ Generalem peccarit; vt eruditè docet Sãctorus de Melphi Super statuta Ordinis, c. 1. statuto 4. §. 2. ibi: *Idem proportionabiliter dicendum est de Commissario Generali, qui Generalis authoritatem habet in sua Familia, tamen sub Generali; unde nec caput, nec princeps Ordinis, nec potestatis plenitudinem sortitur. Verùm iisdem pœnis punitur, qui ei non obedierit, ac si Generali ipsi inobediens fuerit, ad coercendam petulantiam aliquorum, & ad conservandam erga ipsum reverentiam, cùm Fratribus Iure ordinario præsit.*

19 Huc accedit, ignominiosam, famosamque illam irreverentiam, qua temerario sanè ausu Apostolicæ Illustrissimi, & Rmi. D. Nuncij litteræ in prædictorũ Libellorum titulo sugillantur, publicata enim dicuntur: *Cum audientium magna admiratione, inauditoque à sæculis scandalo;* non posse famosum Libellum non esse; cum sint verba contumeliosa, quod satis, superque est vt ex illis typo, linguæ, calamovè mandatis Libellus famosus consurgat, *cap.* 2. *quæst.* 1. ibi: *Qui in alterius famam publicè, sivè in publico scriptura, aut verba contumeliosa configerit.* Idque ipsum probatur, *ex cap.* 3. *&* 4. 5. *quæst.* 1. *leg. Lex Cornelia*, §. *si quis librum, ff. de iniurijs, & famosis Libellis, l. unica, Cod. de famosis Libellis*, Esforcia *Theoremate* 326. *declarans Constitutionem Pij V.* Sanctorus *in pœnis Libellorum famosor. fabricator. cap.* 11. *quæst.* 1. §. *Respondeo* 2.

20 Et cum Illustrissimus, & Rmus. D. Nuncius Apostolicus, vtpotè Legatus à Latere, sit Summi Pontificis Vicarius, extra dubium est, ob hanc notam, & iniuriam commissum esse læsæ Maiestatis crimen.

21 Non miror, in hac Cismontana Familia esse Rmo. P. Commissario inimicos, istosque contra illius iustitiam, & æquitatem calumnias evomere, & evulgare; id enim fert iniqua temporum conditio, quæ semper in Superiores invenitur. Cicero in Tusculan. ibi: *Quàm fragilis, flexibilisque est voluntas, sensusque Civium erga Pratores, vt non modò improbitate eorum irascantur, sed etiam rectè facta plerumque fastidiant, nihil eorum probitas, & innocentia, inter calumniantium tenebras splendescit.*

22 Omnes Hispaniarum Provinciæ laxis fibris prædicant, & nunquam possunt satis extollere, & efferre Rmi. P. Commissarij Generalis zelum, prudentiam, distributivamque iustitiam: & quamvis Rmus. P. æquissimis istis laudibus nullatenus efferatur, sed in sua humilitate immotus subsistat, nihilominus, vt omni illius elationi aditus præcludatur permisit

Deus inauditum istum P. Victoria excessum, & inobedientiam iuxta illud S. Gregorij in cap. *Sunt plures. 6. quæst. 1. Deus aliquando permittit malos in bonorum obtrectationem, & obiurgationem erorrumpere, vt si qua gloria ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.*

23 Contemptibilis est Libellus famosus, nec in iure, vel leviorem ingenerat suspicionem in eos, in quos evulgatur iuxta Constantinum Magnum *in leg. 1. de famosis Libellis, C. Theodosiani*, ibi: *Si quando famosi Libelli reperiuntur, nullas exinde calumnias patiantur hi, quorum de factis, vel nominibus aliquid continebunt.* Id ipsum statuit Magnus Constantinus *in leg. 2. C. eodem*, cuius legis rationem subdit ipse Constantinus *leg. 6. eod. tit.* his verbis: *Nam & innocens creditur, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus.*

24 Et Iacobus Gottofredus in suis Notis in hunc textum inquit: *Innocens scilicet creditur, quem nemo libera intentione, nemo iuris ordine accusat, latenter tantum, & venerato telo, seu machinis concutere satagit.*

25 Et quamquam Rmus. P. præfatum Libellum meritò contempserit, proculdubiò matura mente perpendens eum, si ex velleitate processit, contemnendus, si ex furore, de illius Authore dolendum; si ex iniuriandi animo, condonandum; vt prudenter expendebat Theodosius Magnus *Constitut. 1. Si quis Imperatori maledixerit, C. Theodosiani*, ibi: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto, nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit; eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid, nec asperum sustinere; quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, misseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.*

26 At cum Imperator ipse Theodosius Magnus prædictis verbis, hæc alia subiungat: *Vnde integris omnibus ad nostram scientiam referatur, vt ex personis omnium dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeat, censeamus.*

27 Necessarium omninò duximus, illatas repellere iniurias, cum ex Sententia Divi Thomæ 2. 2. *quæst. 72. artic.* 3. sit rationi consonum, cum ibi dicat Angelicus Præceptor: *Oportet enim vt contumeliam illatam repellamus propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas*: Cum, Victorianum Consultum nocentem absolvat; innocentem Rmum. P. Commissarium Generalem condemnet; vt de illo, & de subsequuta sententia cum fletu illud Juvenalis, *Lib. 1. vers. 233. dicamus:*

——————Tristis sententia fertur:
Dat veniam corvis; vexat censura columbas.

28 Quatuor enim hoc suplici Libello præstare debemus: primò rei veritatem in facto declarationis Apostasiæ P. Fr. Iacobi Victoria exprimere. Secundò operationes Rmi. P. Commissarij Generalis rationi, æquitatique consonas ostendere. Tertiò factum, quod suponit Consilium illud, sivè consultatio, ad trutinam revocare. Quartò doctrinas, quæ tãquam illius resolutionis fundamenta adducuntur, discutere, vt ex earum enodatione, plenaque satisfactione, æquissima Rmi. P. Commissarij Generalis synceritas ab omni nævo libera, & ab æffrenatis illis calumnijs vendicata clarior elucescat; sinister, depravatusque animus evulgandi famosos illos Libellos patescat; agnoscantque cuncti, eum proculdubiò non aliò collimasse, quàm vt Religionem turbaret, meritumque suplicium effugeret.

29 Sic constans, firmaque deliberatio in his quæ rationi congruunt, & æquitati condservetur, & Religionis zelo inflammetur; cunctoque innotescat orbi, eundem omninò gladium, quo Pater Iacobus Victoria Superioris sui famam vulnerare conatus fuit, huic murum esse, ac propugnaculum iuxta illud Ciceronis pro Cæcina: *Aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro defensio sua conficiatur, necesse est.* Cum traditis ab Erasmo in Adagio. *Suo hunc iugulo gladio.*

30 Claritatis ergo gratia totus iste Libellus in quatuor secabitur partes. Prima proponet factum omninò verum iuxta authentica instrumenta, iudicialiaque Acta.

31 Secunda omnes Rmi. P. Commissarij Generalis operationes apertissimis Pontificijs Cæsarijque iuris testibus, Doctorum authoritatibus, & Seraphicæ Religionis Statutis communiet.

32 Tertia notabit facta, quæ in proposito Consulto, sententiam antecedenti, contra veritatem confinguntur.

Quar-

33 Quarta denique discutiet Doctrinas, quæ in prædicto Consulto allegantur, & ex illarum Authoribus, ac iuxta securiores, certioresque resolutiones probabit, & ostendet, declarationem, publicationemque Apostasiæ Patris Victoria debere subsistere, ac permanere.

PARS PRIMA.

Proponitur factum, non commentitium, aut confictum; sed verum, & syncerum, iuxta authentica instrumenta, iudicialiaque Acta in Causa Apostasia Patris Fratris Iacobi Victoria.

34 ANNO à Servatoris nostri ortu *1696.* mense Septembris ad Reverendissimum Patrem N. Fratrem Antonium Folch de Cardona Generalem totius Seraphicæ Religionis Commissarium, cùm Valentiæ in Hispania esset, à fidedignis personis, primæque in illa Civitate authoritatis, opinionis, & notæ viris iteratis vicibus extraiudicialiter delata sunt scandala, quibus P.Fr. Iacobus Victoria, (qui tunc temporis in ea Observantium Provincia Vicarij Provincialis munus obibat,) illius Civitatis incolas in re venerea haud semel offenderat, & ad illud vsque tempus incontinentiæ suæ exemplo non leviter vulnerabat.

35 Intellexit Reverendissimus P.N. Cõmissarius, personis non vulgari zelo præditis mirum valdè videri, in Seraphica S.P.N. Francisci Religione huiusmodi scandala tanto silentio sepeliri, tantæque Religionis Prælatos adeò negligenter se se gerere in huiusmodi scelerum coercitione. Re igitur diligenter inspecta, maturèque considerata, sui muneris proprijssimum duxit, suoque officio maximè necessarium existimavit, in hanc curam solicitè incumbere, vt iustitiæ, publicoque suæ Religionis commodo integrè satisfaceret. Quamobrem Rdo. P.Fr. Ioseph Abaroa Generali Concionatori, suoque Secretario Generali, septimo Idus Octobris plenè commisit, tantæ rei veritatem iuridicè inquirere, vt, ea explorata, ac comperta, Patrem Iacobum Victoria, vel innocentem absolveret, vel reum pro scandali, scelerisque qualitate condigna pœna mulctaret, Orbique innotesceret, in Seraphica Religione dari Prælatos, qui meritum iure vindicatum à subditis repeterent, si isti fortè deliquerint.

36 Eodem die, septimo nempe Idus Octobris, præfatus R.P.Fr. Abaroa prædictam commissionem admisit, & quarto Idus eiusdem mensis Processum inchoavit super clamoribus, qui circa Patris Victoria incontinentiam percrebuerant, & ad Rmi. P. C. Generalis aures devenerant; & in prædicti Patris Victoria vitam, moresque inquirens comperit, eum sæpè habitum fuisse, & haberi voti castitatis transgressorem, iuxta sex testium depositionem exhibitam in Processu à fol. 2. vsque ad 7.

37 Probata iam Patris Victoria infamia, ad Summariam processit, quatuorque testes Sacramento obstrictos de causæ veritate interrogavit, quibus vno ore scandalum à P. Victoria Valentiæ exhibitum attestantibus, quæstioni, sivè informationi finem imposuit 13. Kalendas Novembris; vt patet ex Actis in processu à fol. 7. vsque ad 10.

38 Octavo Kalendas eiusdem mensis transiens Rmus. P. C. Generalis à Conventu Turdetaniæ, vulgò *Murcia* (vbi Almæ Provinciæ Spartariæ, sivè novæ Chartaginis Capitulum 13. Kalendas illius mensis celebraverat) ad Alonense Cœnobium Sanctæ Valentinæ Provinciæ Capitulum habiturus, quod in diem Sabbathi 6. Kalendas prædicti mensis indixerat ad Conventum Sancti Ioseph Villæ Ilice (vulgo *Elche*) Religiosorum Discalceatorum eiusdem Ordinis pervenit, ibique commorans, prædictum P. Abaroa accersivit, ei imperans, vt Acta, Processumque produceret; quo reipsa producto, ac exhibito, Reverendissimus Pater Commissarius Summariam vidit, rationeque, animoque lustravit; & quamquam illa iuri

substan-

substantialiter congruebat, ac Iurisprudentiæ regulis valdè consonam plusquàm semiplenam faciebat delicti probationem; nihilominus in iuris observatione, eiusque apicibus nimis scrupulosè procedens,& ne latum quidem vnguem ab æquitatis,rectique iudicij semita discederet (ad quod Regulares non tenentur) eodem die 8. Kalendas Novembris Legum, ac iudicij normam,regulamque adamussim observans,sequentes Litteras iussit expediri.

34 In Ilicitano S.P.N.Francisci strictioris observantiæ Conventu 8. Kalendas Novēbris anno 1696.Reverendissimus P.Fr.Antonius de Cardona Lector iubilatus,& Generalis totius Seraphicæ Religionis in hac Cismontana Familia Commissarius,cum Rdum. P.Fr.Ioseph Abaroa,Sanctæ Aragonum Provinciæ Patrem,generalemque Ordinis Secretarium,qui tunc temporis, eiusdem Reverendissimi P.Commissarij iussu in Valentino S. P. N. Francisci Cœnobio commorabatur,cognitionem causæ persequens in R.P.Fr.Iacobum Victoria prædictæ nostræ Valentinæ Provinciæ Ministrum Provincialem,ad præfatum Ilicitanum Sancti Ioseph Conventum accivisset, inspectisque Actis,& Processu à suprà memorato P. Abaroa constructis comperisset,nondum esse in eis Summarium iudicium perfectum,quamvis in præfatis Actis absolutum esse dicatur,animadvertissetque etiam, in Summarij initio appositum non esse Interrogatorium,vt testes clarè, distinctèque veritatem aperiant, & exponant, ac cuique interrogationi suam responsionem adaptent; præfato Rdo. P.Fr.Ioseph Abaroa,suo Delegato,præscripsit, vt prædictam causam prosequatur, Interrogatorium ex infamiæ probatione, Actisque depromptum efformet, ac proponat,& iuxta illud Testes, tàm qui citantur,& nondum expensi sunt, cæterosque omnes,quos intelligat posse de hac re dicere, & testari, diligenter discutiat,& de causæ veritate iureiurando, interpositaque Sacramenti religione interroget. Et quoniam ad pleniorem veritatis inquisitionem,ac certitudinem opus fortè erit testes iam discusos reproduci, eidem Rdo. P. Delegato præcepit, vt eos reproduceret,& expenderet, ac tandem vt pro maiori veritatis indagine ad illa Cœnobia se conferret, ad quæ pro pleniori causæ cognitione sibi accedendum esse, necessarium, aut opportunum iudicaret. Sic authoritate sua Reverendissimus Pater decrevit, constituit,& subscripsit in præfato Conventu dictis die,mense,& anno.Corā me infrascripto Secretario,qui præsens adfui.Fr.Antonius de Cardona Vice-Commissarius Generalis.Loco sigilli. ✠ Iussu *Reverendissimi* P.Fr.Antonij de Cardona,Fr. Paulus Rodriguez, Generalis Ordinis Secretarius. *Extant* hæ litteræ in Processu à fol. 11.

40 His litteris expeditis,inchoatum iter prosequutus fuit versùs Alonense Cœnobium, vbi habendum erat Capitulum; & quamvis istud in diem Sabbathi 6. Kalendas Novembris indictum erat,illud tamen in Dominicam immediatè sequentem, 5. Kalendas Novembris distulit, ac prorogavit,non obstanti inconcusa Seraphicæ Religionis consuetudine celebrandi sua Capitula in die Sabbathi.

41 Ad huiusmodi prorogationem permotus fuit,quòd ei innotuerit,Patrem Victoria physicum sui Provincialis Vicariatus biennium vsque ad 5.Kalendas dicti mensis non explere,quod necessariò expleturus erat,vt Patris Provinciæ privilegijs perfrui posset,iuxta Romani Capituli constitutionem anno 1630. & 1651.& cap.8.*de Officijs, quibus Ordo regitur*, §.15.ibi: *Qui verò minus biennio in Officio Vicariatus extiterunt, nullo privilegio gaudeant.* Et apertè tradunt *Lantusca*, verbo *Vicarius Provincialis*,*num*.8. & Sanctorus *cap*. 8. *statut*. 34. *dubitat*. 2. vers. *Respondeo affirmativè.*

42 Liberum omninò fuit prædicto Reverendissimo P. præfatum Capitulum 6. Kalendas Novembris, imò & ante illum diem celebrare; etenim præterquàm quòd antecedētis Capituli triennium expletum erat; potuit illud anticipare, vel differre, iuxta Constitutionem prædicti §.15.vers. *Regimen, aut Officium*, & Lantuscam, verb. *Vicarius Provincialis*, *num*. 9. Id tamen non præstitit; quinimò, cum non valeret illud vsque in subsequens Sabbathum differre; tunc enim iam expleti essent tres anni, & sex meses, quibus elapsis, Capitulum inconsulto Romano Pōtifice haberi nèquit; pro Patre Victoria præstitit quidquid valuit, prorogans illud in Dominicam diem 5. Kalendas Novembris, vt P.Victoria, sui Vicariatus Provincialis biennium absolvens,Patris Provinciæ honoribus potiretur.

43 Habitum fuit Capitulum dicto die 5.Kalendas Novemb. omnibusque Capitularibus

ribus Actis absolutis Rmus.P.corde,animoque volutans pro sui muneris debito causam cõtra Pm.Victoria esse prosequendam deliberavit;probata siquidem illius infamia non poterat salva, integraque conscientia in eum Iudicialiter non procedere; visaque sceleris probatione, existimavit minimè expedire Patrem Victoria Valentiam, vbi illius causa testimonijs roborabatur,tunc temporis redire;erat enim illaCivitas sceleris locus,vbi turpitudinis nota aspersus erat, famosique de illo rumores dissipabantur, & verosimile credidit eum sua activitate iustitiam obturbaturum, corrupturum testes,& maiora scandala excitaturum.Vt ergo Rmus. P.tanto incommodo occurreret, tantisque malis impedimentum aliquod obijceret, ei in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, vt se in Alonensi Cœnobio contineret, ibique cõmoraretur; & ne istud sanctæ obedientiæ præceptum P.Victoria posset aliquo tempore inficiari, illud ei coram testibus notum fecit per R.P.totius Ordinis Secretarium. Quod quidem præceptum, eiusque notificatio sic se habebat:

44 Fr.Antonius à Cardona Lector Iubilatus, totius Ordinis S.P.N. Francisci in hac Cismontana Familia Vice-Commissarius Generalis,& Servus,&c. Rdo. P.Fr.Iacobo Victoriæ Philosophiæ Lectori, immediatoque Sanctæ nostræ Valentinæ Provinciæ Patri,salutem, & pacem in Christo Domino nostro. Vigore præsentium Paternitati Vestræ mandamus in sancta obedientia, Spiritus Sancti virtute,& sub pœna inobedientibus debita,vt in hoc nostro Alonensi Sanctæ Mariæ à Gratia Cœnobio permaneat, & consistat, quin ad aliquem alium locum, præterquam ad Alonensem Civitatem exire,nec ad aliquod aliud Cœnobium Provinciæ, aut extra illam quovis prætextu, aut titulo, etiam adeundi ad aliquem Deffinitorialem cœtum,in eoque assistendi, commigrare valeat; quovsque aliud à Nobis fuerit præscriptum. Et vt hæ nostræ litteræ,& in eis contenta debitum sortiantur effectum,sub eadem sancta obedientia P.Fr.Ioanni Ros,Lectori Iubilato,& prædicti Alonensis Conventus Cœnobiarchæ,præcipimus, vt nos admoneat, certioresque faciat, si fortè præfatus R. P. Victoria aliqua ex parte perfringeret, ac violaret hoc nostrum præceptum,quod nostro Secretario mandamus vt prædictis coram testibus notum faciat, ad eius calcem notificationẽ, corumque responsa apponens. Dat.in nostro Alonensi Sanctæ Mariæ à Gratia Cœnobio 4. Nonas Novembris 1696. Fr.Antonius deCardona Vice-Commissarius Generalis. Loco sigilli. ✠ Iussu admodùm Rmi.P. Commissarij. Fr. Paulus Rodriguez,Generalis Ordinis Secretarius.

45 Supramemoratas Litteras personaliter notas feci R.P. Fr. Iacobo Victoria, qui respondit,se eas audire, earumque exequutioni promptum esse; & quoniam capitis dolore oppressus,& sanguinis missione,languidus in lecto iacebat, nihil sibi impræsentiarum occurre,solùmque asserere, se ad obediendum esse paratum; & si huiusmodi litteræ ad privationẽ dirigantur,sibi iura reservare, quibus posset coram Rmo. N.P. Ministro Generali, vel Tribunali,quod ei expediens fuerit appellare; petijtque,sibi dari authenticum harum litterarũ, suique responsi exemplar; ac tandem subdidit, nihil aliud habere quod responderet. Et P. Fr.Ioannes Ros,qui ibi etiam aderat, respondit, se prædictas Rmi. P. Commissarij litteras, vt sibi notas factas admittere,eisque,circa illa quæ sibi à Rmo. P. præcipiebantur, obtemperare. Testes fuere R.P.Fr.Andræas Ybañez, Lector Iubilatus, Catholici Regis Concionator,ac Provinciæ Pater; & R.P.Fr.Bartholomeus Giner, Lector Iubilatus, & Valentini Conventus à Iesu Guardianus. Et quia hæc,vt relata sunt, ita se habuere, eis subscripsi in prædicto Alonensi Cœnobio 4. Nonas Novembris 1696. Testimonio dico,fideque mea cõprobo.Fr.Paulus Rodriguez, Generalis Ordinis Secretarius.

46 Dictis die,mense,& anno ego infrascriptus Secretarius Rmum. P.N. Commissarium suprapositi responsi conscium reddidi,decrevitque Rma.suaPaternitas præfatoR.Patri Victoria petitum exemplar non dari, quia quæ ei nota facta fuerant, erant regularis Obedientia, regiminisque dispositio,& providentia, à quibus non licet appellare.Et ne R. Pater Victoria suffragio, quòd ei iure competit, privaretur, aliquamvè in eo iacturam subiret, Reverendissimus P. asseruit se præscribere, ac imperare,vt omnes cœtus,sivè Comitia,quæ hac dispositione,præceptoque durante, haberi possent, in prædicto Alonensi Cœnobio celebrentur; vt præfatus R.Pater Victoria eis adsit,suffragiumque ferat.Tandem Rmus.P.præ-

cepit

cepit hæc omnia Rdo. P.Provinciali Fr.Ioanni Todo,præfatoque R.Patri Victoria nota fieri. Sic providit; de quo testimonium dico,&c. Fidem facio. Fr.Paulus Rodriguez.

47 In suprамemorato Cœnobio dictis die,mense, & anno Rdo.P. Fr.Ioanni Todo, Provinciali Valentiæ Ministro notam feci suprapositam Rmi. P.Commissarij dispositionem; vt omnia scilicèt DiffinitorialiaComitia,quæ,durante supradicto Rmi.P.præcepto celebranda essent, in præfato Alonensi Conventu haberentur;qui respondit,se ita executurum,prómptumque esse ad parendum Rmi.P. præcepto.Sic respondit; & quia ita est,præsensque adfui, subscripsi , &c. Fidem facio. Fr.Paulus Rodriguez.

48 Postquàm R. P.Provincialem præfatæ dispositionis secundum ius , & leges conscium reddidi die,mense,& anno supradictis præsens Secretarius ad R.P.Fr.Iacobi Victoria, qui in lecto iacebat,cellam redij,eumque certiorem feci,Rmum.P.decrevisse,ne ei petitum transcriptum daretur; quoniam quod ei notum factum fuerat,solummodo erat quædam regularisObedientia, regiminisque dispositio, ac providentia; & ne in suffragio,quod ei competebat , iacturam aliquam pateretur, Rmum. P. iam præscripsisse , vt Diffinitorialia Comitia in illo Cœnobio celebrarentur; & Rdum.P.Provincialem se ita exequuturum, respondisse. Cùmque de his omnibus Rdum. P.Victoria certiorem fecissem,respondit,bene se rem habere,nullumque aliud verbum protulit. Et cùm hoc suum responsum manu sua signare nō posset,eò quòd ægritudine, venæque incisione languesceret, ab illius Cella discessi : testorque, hæc omnia ita gesta fuisse; & quia re vera ita se habuere, subscripsi. Fidem facio. Fr. Paulus Rodriguez,Ordinis Secretarius.

49 Profectus fuit Rmus.P.ex Alonensi Cœnobio , manente in illo Patre Victoria cum illa perhumana , decenti, liberalique tractatione,officijs , ac delitijs , quæ illius congruebant dignitati commendationique, qua Rmus. P.Commissarius eum prædicti Conventus Guardiano commiserat.Egrediebatur Pater Victoria deambulatum per Civitatem,aliaque loco quoties ei libebat, quin huiusmodi egressus ei vnquam denegaretur. Sic se gessit vsque ad 6. Kalendas Decembris; quo die,petita à P. Cœnobiarcha licentia Carmelitarum Conventum adeundi, eaque concessa,è suæ Obedientiæ Cœnobio abijt, nec ad istud in hodiernum vsque diem reversus est. Protestationem fecit Pater Victoria coram *Priore supramemorati* Conventus,& coram alio eiusdem Conventus Religioso,prout sequitur.

50 ,, Dico ego Frater Iacobus Victoria,Religiosus Professus RegularisObservantiæ
,, P. N.S.Francisci in hac Valentina Provincia; quòd sentiens me gravatum à Rmo. P.Vice-
,, Comissario Generali Fr.Antonio de Cardona,quia me reclusum habet in hoc Alonensi
,, Conventu, vbi in dicta reclusione sum ferè per mensem absque aliqua causa mihi exhibi-
,, ta. Et cùm ex alia parte plusquàm moralem certitudinem habeam,quòd mihi maiora gra-
,, vamina inferat,me exulando ad remotas Provincias,in quibus indefensus ero à calum-
,, nijs meorum adversariorum; statuo pergere ad mei Prælati præsentiam, vt sic liberer,nō
,, solùm à vexationibus præsentibus, sed etiam à futuris. Et quia deficiunt mihi necessariæ
,, licentiæ eundi,idcircò coram R.P.Magistro Fr.Iosepho Nuño,Priore Conventus Virginis
,, Carmeli Alonensis Civitatis,& coram P. Vincentio Borja , eiusdem Ordinis Religioso,
,, protestationem facio,quòd mea intentio,& animus non est apostatare , nec à debita obe-
,, dientia Prælatorum meorum fugere; sed solùm , & præcisè intendo gravamen , quo pre-
,, mor,redimere,meumque honorem tueri , & etiam redimere futura alia gravamina. In
,, quorum fidem testimonium hoc præsens confeci, mea manu signavi ; & signatum quoque
,, fuit à supràmemoratis testibus,die 26.Novembris anni 1696. Fr. Iacobus Victoria. Fir-
,, mamus hoc testimoniale in supradicto Carmelitano Conventu,dicto die,mense,& anno,
,, quibus suprà. Fr. Iosephus Nuño,Carmelitarum Prior. Fr. Vincentius Borja, Carmelita-
,, nus.

51 Videns P.Guardianus,eum non redire , certiorque effectus de illius fuga , eum Apostatam,& anathemate perculsum in Communitate publicavit ea ratione,& forma , quā Generalia Seraphicæ nostræ Religionis Statuta præscribunt : nec potuit tale non facere.Patent hæc omnia ex Processu,quem Rmi.P.Commissarij iussu,& commissione super hac fuga in Alonensi Conventu construxit,& formavit P. Fr. Matthæus Bayuelo,Lector Iubilatus, &c.

San-

Sanctæ Carthaginensis Provinciæ Ex-Custos, secundùm novem testium depositiones, vt conspicitur in Processu, & habentur à fol. 14. vsque ad 27.

52 E prædicta igitur Civitate Alonensi P.Fr. Iacobus Victoria fugitivus exivit, Valentiam adijt ad Magni Ampostæ Castellanum, tanquam in tutissimam fortunæ suæ aram, asylum, & portum involavit, in illius domo diu permansit, & à multis diversisque illius personis, tam Regularibus, quàm Sæcularibus salutatus. Commendatitias, sibique suffragantes litteras ad Illustrissimum Dominum Nuncium directas solicitè procuravit; à quo licentiam petijt Romam adeundi per viam recursus ad Rmum. Ministrum Generalem sub prætextu, quòd illa in Alonensi Conventu Obedientia, seù assistentia, quam reclusionem appellabat, nimis gravaretur, maioresque vexationes, & gravamina sibi à Rmo. P. Commissario timere.

53 Quid hac in re esset, exquisivit Illustrissimus Dominus Nuncius à Rmo. P. Commissario Generali, à quo de rei veritate instructus, noluit Patri Victoria postulata concedere, neque ei annuere; quinimò suas litteras expedivit, præcipiens sub Censuris, ne aliquis prædicto Patri Victoria patrocinaretur, eumque apud se retineret, eò, quòd esset suæ Religionis dessertor, aut (vt meliùs loquar) fugitivus, & Apostata, ac sacrorum communione privatus; quarum Illustrissimi D. Nuncij tenor Litterarum sic se habebat:

54 ,, Nos D. Ioseph Archintus, Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia, Thessalonicensis Archiepiscopus, & Nri. Sanctissimi Patris, & Dni. Innocentij, Divina Providentia, Papæ XII. Nuncius, & Generalis Apostolicus Collector in his Hispaniarum Regnis, cum facultate Legati a Latere, &c. Reverendis Abbatibus, Prioribus, Decanis, ArchidiaconiMeso-choris, Thesaurarijs, Gymnasiarchis, cæterisque Dignitatibus, Canonicis, & Portionarijs Metropolitanarum Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & Parochis eorũ Vicefungentibus, Beneficiatis, Clericis, & Æditûis Parochiarum, horum Regnorũ, & cuilibet alteri Ecclesiaticæ personæ, vel Apostolico Notario, qui per præsentes fuerint requisiti, & cuilibet istorum insolidum, salutem in Domino Nostro Iesu-Christo. Notum sit vobis, ante Nos stetisse P.Fr. Petrum Emmanuelem ab Aguilòn, Ordinis Sancti Francisci, & pro sua Religione in hoc Catholici Regis Domicilio Commissarium; Nobisque retulisse, perquàm Rdum. P.Fr. Antonium de Cardona, Lectorem Iubilatum, & Generalem Cismõtanæ Familiæ, & actualem omnium Indiarum Commissarium iustis de causis, quibus illius animus adductus fuit suum Commeatum, religiosamque abeundi facultatem forma solita expedivisse, vt Pater Fr. Iacobus Victoria, Valentinę Provinciæ prędicti Ordinis Ex-Provincialis, ad Alonense Sancti Francisci Cœnobium incola accederet, ibique commoraretur, ac degeret, quin vllus Prælatus, prædicto P. Commissario Generali inferior, posset eum à præfato Conventu removere; præfatoque Patri Victoria, nè è supramemoratis Conventu, & Civitate ad aliquod aliud Cœnobium, & locum sine speciali illius facultate egrederetur, in eodem illo Commeatu præscripsisse. Patrem verò Victoria, cùm, debitæ obedientiæ officio deficiens, suique Generalis Commissarij præcepta violans, ac perfringens, huiusmodi præscripti executioni defuerit, & ab Alonensi Conventu fugam arripuerit, clanculum extra Claustra vagari, & in Valentina Vrbe, alijsque locis, ac Sæcularium domibus ingenti nota, magnoque suæ Religionis scandalo commorati. Et quamvis multæ sint omnium statuum, conditionumque personæ tam Ecclesiasticæ, quàm Sæculares, & Regulares, ac Ordinum, tum Mendicantium, tum Monachalium, & Militarium, & cuiuslibet alterius status, sexus, & conditionis sint, quæ sciunt, intelligunt, & dicere audiverunt, vbi sit, & in quo loco adsit, vel moretur P.Fr. Iacobus Victoria; eas tamen ob suos fines, privatasque causas nolle id aperire, dicere, nec declarare; & aliquam, vel aliquas è prædictis personis eum apud se retinere, & in suis domibus alere, vel conservare, quin à suis domibus eum expellant, cum gravi suæ Religionis damno, ac præiudicio. Quocirca, vt tanto incommodo occurratur, à Nobis petijt, & deprecatus fuit, vt tantæ rei remedium provideri mandaremus. Nos autem, videntes eius petitionem esse iustitię, æquitatique consonam, (dummodò ex declarationibus, quæ huius Paulinę virtute factę fuerint, nulla criminalitas suboriatur) dari iussimus, & dedimus has nostras pręsentes litteras, quibus, & Apostolica authoritate Nobis concessa, qua in hac parte vtimur, vobis prędictis Eccle-

siasti-

„ siasticis personis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris „ Apostolicæ latæ sententiæ,& quingentorum ducatorum,belli contra Infideles sumptibus „ applicandorum committimus;& mandamus,quòd si per præsentes fueritis,vel quilibet vestrum fuerit à præfato Supplicante requisitus, legere, & publicare faciatis, aut legatis, & „ publicetis has nostras præsentes litteras in omnibus vestris Ecclesijs,Monasterijs,& Sacel- „ lis, omnibus Dominicis, Festisque de præcepto, cæterisque diebus Judicialibus, & non „ Judicialibus, vt supradictæ, memorateque personæ præfati Religiosi detentrices, susten- „ tatrices, occultatrices, ac cælatrices,aut quovis modo consciæ, quibus in partibus, locis, „ domibus,& domicilijs inveniatur,& consistat,intra tres primos sequentes dies,quos definitos volumus,ac statutos,vltimumque peremptorium,præscribimus,trina Canonica mo- „ nitione præmissa,post harum nostrarum litterarum publicationem, vel lectionem, aut „ quomodocumque illarum notitia ad eas pervenerit,è domibus suis eum expellant, mani- „ festent, dicant,& revelent, vbi,& in qua parte,regione,sede,aut loco, domibus, habita- „ tione,domicilio,Civitatibus,Villis,& Oppidis supramemoratus P. Fr. Iacobus Victoria „ reperiatur. Et in eas personas,quæ contrà fecerint, prædicto termino elapso, nec eum „ expulerint,manifestaverint,dixerint, vel declaraverint coram proximioris Conventus „ Seraphicæ Religionis Superiore, aut quacumque Ecclesiastica persona, quam præfatus „ Supplicans, vel qui istius habuerit facultatem, designabit; ex nunc pro tunc, & ex tunc „ pro nunc Excommunicationis Maioris Sententiam intorquemus,& promulgamus in hu- „ iusmodi personas,& in vnamquamque illarum, easque tamquam publico anathemate „ perculsas, iuxta stylum, & consuetudinem, habebitis,& denunciabitis. Et si (quod Deus „ avertat)huiusmodi personæ,aut earum quælibet,obstinatè protervæ,Pharaonis duritiam „ imitantes, in prædictis nostra Excommunicatione, & Censuris conquieverint,easque ab- „ sorbuerint, quoniã qui vno supplicio non corriguntur,maioribus puniendi sunt, ac coer- „ cendi; nostras Litteras aggravantes, ac reaggravantes vobis prædictis Ecclesiasticis per- „ sonis præcipimus, vt Dominicis,Festisque diebus, inter Conventualis Missæ Solemnia „ Cruce lugubri veste cooperta, cymbala pulsando, candelas extinguendo,cæterasque cæ- „ remonias,& acta exequendo,quæ vsu,& consuetudine introducta sunt, & *à iure præci-* „ *piuntur*, ea anathematizetis,& sequentibus imprecationibus execremini : *Maledicti fiat* à „ Deo, benedictaque eius Matre,omnes prædicti anathematizati : Amen. Orphani videan- „ tur eorum filij, eorumque vxores viduæ:Amen. Eis Sol per diem obscuretur, & Luna ob- „ tenebretur per noctem: Amen. Ostiatim emendicent, nec inveniant,qui eis benefaciat,& „ succurrat:Amen. Plagæ,quas Deus in Ægypti Regnum,suumque Populum immisit,super „ eis descendant, eosque insequantur: Amen. Execratio Sodomæ, Gomorrhæ, Datàn, & „ Abiròn, quos terra ob eorum peccata viventes absorpsit, eis eveniant, eosque devorent: „ Amen. Cæterisquè execrationibus contentis in Psamo,qui incipit:*Deus,laudem meam ne taceris*. Præfatis autem imprecationibus vibratis, accipiant amulam aquæ, sivè aquiminarium,accensasque candelas in aquam immittentes,dicant: Sicut hæ candelæ in hac aqua „ emoriuntur,sic prædictorum anathematizatorum animæ intereant,& cum Apostatæ Judæ „ anima in infernum descendant : Amen. Et nè id facere,& exequi cesseris, quousque ad „ Sanctæ Matris Ecclesiæ præceptum, obedientiamque perveniant, & absolutionis benefi- „ cium promereantur,quam Nobis,nostroque Superiori reservamus. Et mandamus,quòd „ harum nostrarum Litterarum transcriptis,nostri Abbreviatoris,& D. Christophori Hy- „ politi, nostri Paulinarum Scriptoris chirographo signatis, nostroque sigillo munitis, ea- „ dem adhibeatur fides,quæ earum autographo adhiberetur; & aliter, nullius roboris sint, „ ac effectus. Datt. Matriti 4. Idus Ianuarij 1697. Ioseph,ArchiepiscopusThesalonicæ, „ Nuncius Apostolicus. G. Salamanus,Abbreviator Apostolicus. Loco ✠ sigilli. Relata „ est in Paulinarum lib. fol. 6. ann. 1697.

Prædictæ Illustrissimi Domini Nuncij Litteræ tunc notæ factæ non fuerunt ob reverentiam Magno Ampostæ Præfecto observatam, aliosque respectus,qui earum publicationem, notificationemque detinuerunt.

55 Videns igitur Pater Fr. Victoria, se hac via tempus terere, suique voti compotem

non

non fieri,& à primæ Valentinæ Nobilitatis,authoritatisque personis iterum,iterumque moneri,& pia quadam,vt ita dicam, importunitate vrgeri, vt in saniorem vitæ frugem redactus, ad suam Religionem rediret; solicitè procuravit, vt ijdem isti nobilissimi, gravissimique viri Rmo.P.Commissario commendatitias Litteras scriberent, vt eorum interpositione & commendatione à Rma. sua Paternitate piè, benignèque exciperetur. Scriptæ fuerunt hæ suffragantes Litteræ; & Reverendissimus P. æquali sanè, ac mirifica voluptate,gratiarumque actione,quòd pro Patre Victoria exoraretur, promisit,se eum Paternis visceribus suscepturum, si,tamquam filius obediens,& resipiscens,ad Alonense suæ obedientiæ Cœnobium remigraret. Patent hæc omnia ex Processu, quem super hoc illius in Valentinam Vrbem accessu, diuturnaque apud Magnum Ampostæ Præfectum commoratione Pater Baynelo construxit,à fol.29. vsque ad 89.earum autem Rmi. P.Litterarum exemplaria sic se habent.

Exemplar periodi, quam Rmus. Pater Commissarius Generalis Rdo. Patri Abaroa scripsit, quoad Patrem Victoria.

56 „ E Domini Comitis erga me studio, officioque, semper mihi pollicitus fui
„ quidquid expertus sum, sicut è patruelis mei Domini D. Ioseph amore,benevolentiaque,
„ quorum potentissimis intercessionibus, & P. Vræ. pro P. Victoria, quantum potero,
„ præstabo gratiam,quin à Iustitia deficiam. Et vt P.Vra. sciat,alijsque valeat aperire, P.
„ Vræ. enuncio, me multis retrò diebus Alonensi Cœnobiarchæ scripsisse,quòd si P.Victo-
„ ria illi Conventui sese vltrò restitueret,neutiquam illum in Disciplinæ domum detrude-
„ ret, sed liberum dimitteret.

Exemplar clausulæ, quam Rma. sua Paternitas admod. Rdo. P. Magistro Fr. Andrea Caperò scripsit.

57 „ Rme. P.Magister. Rmæ. P. Vræ.Litteræ 10.Kal.Ianuarij mihi iucundissimæ
„ fuere,tum ob Rmæ.P.Vræ.valetudinem,& incolumitatem, tum ob P.Victoriæ resipiscen-
„ tiam de qua Rmæ. P.Vræ. gratias ago,& à Seraphico Patriarcha cumulatissimam remu-
„ nerationem polliceor; tantum enim ei obsequium,officiumque Rma.P.Vra exhibuit. Ma-
„ triti prid.Kal.Feb.1697. *Et in eiusdem Epistola ca'ce.* Aliàs de P.Victoria loquar, cui nec ob
„ cuncta mundi commoda,quæ mihi indè suboriri possent,nec quamquam ipse milliès ra-
„ tum faciat quidquid rumoris in me dissipavit,vel in re levi iniurius,iniustusque ero; quin-
„ imò omni studio in id incumbam,vt quidquid Iustitiam non relaxet,nec in istius cõtemp-
„ tum vergat,ipsi exibeam.
„

Exemplar periodi, quam Rmus. P. Commissarius Adm. R. P. Magistro Fr. Joanni Nolasco Risòn scripsit.

58 „ Rme. P.Magister. Arctissimis me favoris, beneficiorumque vinculis adst-
„ tringunt Rmæ.P.Vræ. litteræ efficaces influxus, optimaque officia,quibus Rma. Vra. P.
„ in Patris Victoria resipiscentiã incubuit,quæ mihi singulari est exultationi;cum quippe ma-
„ gis resipiscentem,quàm præcipitẽ exopto; idque Rma. P. Vra. pro certo habeat, me meo
„ officio impulsum, maluisse Patris Victoriæ famam, quæ periclitabatur, abstersis sordibus,
„ eluere, & expiare, quàm procedere ad punitionem,somniatasque iniurias,ac violentias,
„ quæ nunquam poterunt vel verosimiles apparere, cùm & illum integrè liberum demisse-
„ rim, & illius pro limitato tempore assistentiam commendatam reliquerim, quin mihi ani-
„ mo insiderit,eum Alonæ diu commorari, Matriti, pridie Kalendas Februarij 1697. *Et in*

„ calce; Rme. Pater: Quotquot me pro P. Victoria exorarint, per mihi gratum facient; pro
„ nullo enim alio promptiorem, procliviorem que habere gratiam exopto. Verùm in re
„ Iuridica, nec conscientię meæ, nec menti, propositisque meis consonum est, à me præter-
„ mitti, vulneratum iri Iustitiam.

Exemplar periodi ad P. Victoriam pertinentis in Epistola, quam Rmus. P. Commissarius Generalis egregio D. Comiti de Cardona scripsit.

59 „ Dum devenerit tempus, & facultas audiendi P. Victoriam, nulla iste vexatione „ gravabitur, posteàque eius correctionem maiori suavitate, quàm res postulat, procurabo. „ Quod ille cavillatus est (aut, quod certius est, simulavit, & finxit) quã levi, aut nullo funda- „ mento innitatur, apertissimè innotescit: non enim ignorare poteram, eum, dum eius nomẽ „ deferebatur, non esse à me in remotas Provincias relegandum; siquidem cohærere non po- „ terat, Processum in eum construere, & eodem tempore cum exilio mulctare, quin priùs „ audiretur, vt Causa substantialiter finiretur: & in dicta Causa condemnari, Sententiam- „ vè proferri, quin attentas aures eius causę agitandę adhiberem, facultatemquè ei face- „ rem rerum omnium rationem reddendi, solus ille potuit excogitare. Illud certum est, cũ „ voluisse Valentiam pergere, ad impediendum, ne testes deponerent, & ad alia, quæ me „ non latent, exequutioni mandanda.

60 Tandem prædictus P. Iacobus Victoria in Valentinum Coronæ Cœnobium eiusdem Seraphici Ordinis Religiosorum, asperiorem, austerioremque vitam profitentium, se recepit, ibique præfati Conventus Cœnobiarcha eum consentientem, nec reclamantem, aut quidquam protestantem, coram testibus ab Apostasia absolvit. Vnde apertissimè innotescit, prædictũ Patrem Victoria iudicasse, probèq; agnovisse, se in Apostasiæ crimen incidisse, quòd sine Superioris licentia, imò contra illius voluntatem ab Alonensi Cœnobio aufugerit. Prædictæ autem absolutionis exemplar sic se habet:

Exemplar fidei, qua P. Cœnobiarcha Coronæ testatus fuit, à se absolutum fuisse Patrem Victoria.

61 „ Ego P. Guardianus huius Cœnobij Coronæ Christi Civitatis Valentiæ, fidem „ facio, me statim in ipso manè diei 23. præsentis mensis Ianuarij ann. 1697. coram duo- „ bus testibus infrà subscriptis R.P. Fr. Iacobum Victoria ab Apostasia absolvisse. In cuius „ veritatis fidem præsens testimonium mea, prædictorumque testium manu subscriptum „ dedi; simulque, pro maiori illius certitudine, ac fide, ipsum minori prædicti Conventus „ sigillo munivi, dictis die, mense, & anno, vt suprà. Fr. Michael Arrufat, Lector, & Guar- „ dianus. Fr. Philippus Sorolla, Novitiorum Magister. Fr. Franciscus Llopi, Concionator „ Conventualis. Loco ✠ sigilli. *Concordat cum suo originali Regesto.* Fr. Ioannes Ximenez, No- „ tarius Apostolicus.

62 Post hæc omnia præfatus P. Victoria, cùm suam fidem Rmo. P. Commissario oppignorasset, eique fuisset pollicitus, se ad Alonensem Conventum remigrare, re ipsa iter, versùs prædictam Civitatem, arripuit, & ad illam devenit: cùmque oppignorationis suæ ergò ad Cœnobium rectè pergere deberet, à præstita fide deficiens, non modò id non præstitit, sed etiam se in cuiusdam Sæcularis domo occuluit, donec ei data fuit navigandi occasio; qua arrepta, navim Romam versùs conscendit; Rmus. verò P. Commissarius de huiusmodi fuga certior factus, Rdo. P. Valentinæ Provinciæ Ministro Provinciali suis Litteris imperavit, vt eum in omnibus Provinciæ Cœnobijs Apostatam, & anathematizatum denũciaret. Earum autem Rmi. P. Litterarum transumptum Rdi. P. Fr. Ioannis Baptistæ Todo, Sanctæ Valentinæ Provinciæ Moderatoris, manu signatum, sigillo que munitum, sic se habet:

(63) Ego Fr. Ioannes Baptista Todo, Lector Iubilatus, & Sanctæ Valentinæ Provinciæ Minister Provincialis, Fidem facio, verumque esse confirmo, mihi ad vesperam 12. Kal. Februar. currentis anni 1697. à R.P.Fr. Vincentio Perez, Lectore Jubilato, & nostri Regij Valentini Conventus S.Francisci Guardiano, exhibitas fuisse, ac traditas Rmi.P. N. Commissarij Generalis Fr. Antonij de Cardona Litteras sequentis tenoris. „ Fr.Antonius de Cardona, Lector Jubilatus, Generalis totius Ordinis S.P.N. Francisci in hac Cismontana Familia Commissarius, & Servus, &c. R.P.Fr.Ioanni Baptistæ Todo, Lectori Iubilato S.Officij Censori, & Sanctæ nostræ Valentinæ Provinciæ Ministro Provinciali, salutem, & pacem in Domino nostro Iesu-Christo. Quoniam R.P.Fr. Iacobus Victoria, præfatæ Provinciæ Ex-Provincialis, in nostro Alonensi Cœnobio, sicut cæteri Religiosi, commorabatur, & in ea Familia censebatur, ac permanebat iussu nostro, regularique Sanctæ Obediẽtiæ præcepto, quod viguit, & viget, eòque extendebatur, nè ex illo Cœnobio, & Civitate ad vllum alium, etiam illius Provinciæ, Conventum, nec ad alias Civitates, & locos, sine nostra licentia, egrederetur; ob quod à Nobis cautum fuerat, ac præscriptum, vt omnia Diffinitorialia Comitia, quæ celebranda essent, in prædicto nostro Alonensi Conventu haberentur, nè eorum assistentia privaretur, suffragiumque, quod ei in Diffinitorijs cõpetebat, amitteret. Cùmque hæc Obedientia sub prædicta forma ei nota fuisset, & ab eo admissa, ac per aliquot dies executioni mandata, nec à Nobis hactenus fuerit abrogata; 6.Kal.Decemb.anni proximè elapsi 1696. cum à prędicti Alonensis Conventus Cœnobiarcha facultatem adeundi Civitatem petijsset, isteque eam illi, sicut aliàs, fecisset, nondum reversus est, nec in præfato Conventu, aut alio prædictæ Provincię Cœnobio apparuit, nec nostram pręsentiam quęsivit, nec, vbi degat, compertum habetur; quamobrem, violato Religionis sacramento, votorumque fractis repagulis, à Religione defecerit, & transfugerit cum ingenti illius Cœnobij, totiusque Provincię scandalo, magnoque suę conscientię onere, ac detrimento; siquidem in formali Sanctæ Obedientię pręcepto, quod iuxta regularem formam ei impositum fuerat, deliquit. Cùmque nostri muneris sit solicitè procurare, nè supramemoratus Pater Victoria profligetur, ac prosternatur; & impedire, nè ex alio in aliud præcipitium ruat, ac prolabatur, ac tandem, pro nostri Officij debito, cogamur tanto scandalo obviam ire. Ideò, virtute præsentium Litterarum, præfatum P.Fr.Iacobum Victoria, Apostatam, anathematizatum, fugitivum, & inobedientem declaramus, annunciamus, &, iuxta nostras Leges, publicamus, &, vt talem, volumus, & mandamus in omnibus nostris prædictæ Provincię Conventibus haberi, & publicari, & per has nostras Litteras eum accersiri mandamus, vt compareat, seque restituat præfato Alonensi Cœnobio, vbi incola est designatus. Et vt prædicta maiori efficacia fiant, sub sancta Obedientia, in Spiritus Sancti virtute, & sub pœna Excommunicationis maioris latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, & quòd erũt, tãquã præfatæ Apostasiæ celatores, puniendi, Vræ. Paternitati, omnibusque prædictæ nostræ Provinciæ Prælatis, & quibuscumque alijs Religiosis cuiuscumque conditionis sint, iniungimus, vt mandetis, ac diligenter curetis, supramemoratum Patrem Victoria comprehendi, & ad nostram obedientiam, ac Alonensem Conventum reduci, quò omni securitate, & sine alterius fugæ periculo asportabitur; ita tamen vt nec religiosa charitas, nec observantia, qua suæ dignitatis Religiosus tractari debet, vllatenùs violetur. Et vt hæ nostræ Litteræ debitum sortiantur effectum, sub eadem Obedientia, & Censura prædicto Rdo. P. Provinciali mandamus, vt intra duas horas à nostrarum Litterarum receptione eas intimari faciat, tam nostri Valentini Conventus Sancti Francisci Communitati, quàm Cœnobiorum à Iesu, & Coronæ; factisque multis transumptis, eas omnibus dictę nostræ Provinciæ Conventibus transmittat, Nos certiores faciens, suaque authoritate, & fide confirmans, sic esse executioni mandatum. Et vt huius nostræ declarationis, & publicationis Apostasiæ, Excommunicationis, & inobedientiæ noticia ad omnes deveniat, permaneatque, quousque supramemoratus P.Victoria ad prædictum Alonensem Conventum, vbi incola est designatus, adductus sit, aut restitutus, omnibus præfatæ nostræ Provinciæ Prælatis sub eadem obedientia præcipimus, vt in publicis Cœnobiorum locis, Chori scilicèt, Triclinijque ianuis, schedulones

,, nes affigant, qui eum anathematizatum, Apostatam, fugitivum, inobedientemque evul-
,, gent. Dat. in nostro Matritensi Sancti Francisci Conventu, postridie Idus Ianuarij, ann.
,, 1697. Fr. Antonius de Cardona, Comissarius Generalis. Loco ✠ sigilli. Iussu suæ Rmæ.
,, Paternitatis. Fr. Paulus Rodriguez, Generalis Ordinis Secretarius. Quæ quidem Rmi. P. Commissarij Litteræ in omnibus nostræ Provinciæ Conventibus notæ factę fuerunt, ac evulgatæ eodem planè modo, ac forma, quam Rma. sua Paternitas præscripsit: de quo fidem facio, verumque testimonium exhibeo, medio isto instrumento, aliena manu exarato, propriaque signato, ac minori mei Officij sigillo munito. In hoc nostro Regio Valentino Sancti Francisci Conventu, Kal. Aprilis, ann. 1697. Fr. Ioannes Baptista Todo, Minister Provincialis. Loco ✠ sigilli.

64 Istæ Litteræ Patentes lectæ, & publicatæ fuerunt, primò in Conventu S.P.N. Frãcisci Valentiæ, die 21. Ianuarij, ann. 1697. deindè in aliquibus alijs memoratę Provinciæ Cœnobijs. Quod factum fuit, antequàm P. Victoria, die 23. eiusdem mensis absolutionem Apostasiæ reciperet in Conventu Coronæ; post cuius absolutionis notitiam detentæ fuerunt à R.P. Provinciali, ne in alijs Conventibus publicarentur.

65 Sed postquàm P. Victoria à Conventu Coronę egressus fuit, vt Conventum Alonensem rediret, relinquens socium à Rdo. P. Provinciali assignatum, & sua propria authoritate recipiendo pro socio Religiosum, qui tempore sui Vicariatus, Secretarius fuit (quod speciem habet gravissimæ culpæ) cum quo ab Hospitio Sanctæ Mariæ Angelorum extra muros Civitatis Alonæ, arripuit Romæ iter; certioratusque Rdus. P. Provincialis de hac secunda fuga, mandavit, vt Patentes Litteræ, quę sua authoritate post reductionem Patris Victoriæ detentæ fuerant, legerentur, & publicarentur in omnibus alijs Conventibus, in *quibus* nec lectæ, nec publicatæ erant.

66 Istud est verum, germanumque factum, certaque vera historia declarationis Apostasiæ P. Victoriæ, tanta veritate certitudineque fulcita, vt quoties eius veritas, vel in minimum dubium revocetur, levissimam etiam eius circunstantiam perturbando, immutando, aut alterando; toties cumulatissimè satisfiet, Typis mandando Summariam, eamque sic authenticam imprimendo, vt in iudicio, & extrà fides denegari non valeat: iam *enim* tunc pro veritate, ac Rmi. P. Commissarij Generalis authoritate necesse erit, vt nihil *omninò sit*, quod obstare valeat, quominùs vnius privati scelera omnium oculis inspicienda proponantur, & in vniversi Orbis Theatro recitentur; quando eius inobedientia, defectio, ac pervicacia erit in causa manifestationis.

PARS SECUNDA.

Proponuntur fundamenta, quibus omnes Rmi. P. Commissarij Generalis hac in re operationes, rationi, æquitatique consonæ, demonstrantur.

67 NOtitia, iteratisque extraiudicialibus instantijs, quibus fidedignę, religionisque zelo conspicuæ, ac præcipua Valentinæ Civitatis authoritate insignitę personæ scandala in illa à Patre Victoria commissa ad Rmum. P. Commissarium deferebant; coactus fuit ipse Rmus. Pater designare Commissarium, sicut & re ipsa designavit, qui super memorata scandala informationem reciperet; &, an P. Victoria tanti criminis expers, an reus esset, discuteret.

68 Hæc commissio, & suæ authoritatis delegatio non modò fuit iusta, sed etiam omninò necessaria, vt salva, integraque persisteret Rmi. P. Commissarij conscientia, iuxta Boberium in Directorio fori Judiciarij, cap. 15. Basseum, verb. *Correctio, n. 2.* & Fratrem Antonium à Spiritu Sancto in *Direct.* tract. 4. disput. 3. section. 6. n. 161. ibi: *Vbi Prælatus denunciationem legitimam iudicaverit, tenetur ex ea, contra denunciatum inquirere, ac iudicialiter procedere, alioquin peccabit, cùm iustitiam, & Religionis bonum negligat.*

69 Fieret enim proculdubiò particeps criminis Rmus. P. nisi testes, medio iuramento obstrictos, de causæ veritate interrogaret, in supplicium intenderet, illoque medio emendationem, & resipiscentiam procuraret: ex capite *Consentire*. Cap. *Quid enim*, distinct. 83. ibi: *Qui potest emendare & negligit, participem se constituit, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; ac consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.*

70 Ideò Divus Augustinus in Epistola ad Corinthios, cap. 12. inquit: *Si Iudex es, si apud te accusator sit, si veris testibus convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.*

71 Et Sanctus Gregorius lib. 32. Moralium cap. 5. in illud Heremiæ cap. 20. versic. 9. hæc scribit verba: *Inflamantur quippè corda iustorum, cùm non correcti conspiciunt acta malorum, eorumque culpæ se participes credunt, quòd iniquitates crescere silentio permittunt.*

72 Et quamvis Provincialibus concedatur, accusationem in Religiosum potentem, cui Principes, & Proceres valdè student, & maximopere patrocinantur, non admittere, eò, quòd huiusmodi Religiosus, videns de sua vita moribusque inquiri, diceret, quod Provincialis æmulatione in eum concepta permotus, eum Capituli odio insectabatur, falsa crimina obiectans, testesque corrumpens, summarium, causæque Inquisitionem invidia, malevolentiaque percitus, in eum dirigens finem, vt præfatum Religiosum nigra nota spargeret, eiusque famam, decus, & æstimationem macularet: vnde scandalum inter Sæculares, detractiones, & prædicti Prælati dedecus suborirentur; nihilominus adhùc in hoc casu omninò liber non remanet Provincialis: debet enim suum Generalem Superiorem certiorem reddere de huiusmodi Religiosi criminibus, causisque, ob quas in eum animadvertere nequit.

73 Hanc doctrinam rectè callebat P. Victoria, eaque sibi persuasit, se illa qua apud multos Principes, aliosque Civitatum Magistratus familiaritate æstimationeque valebat, impunitum abiturum, & sine Superiore, qui de criminibus, quibus diffamatus erat, inquireret, remansurum: totum siquidem orbem commovit, evulgans, in eum æmulatione inimicitiaque, & non iustitia procedi; conficta crimina cumulando, testesque corrumpendo; & certè hanc illius versutiam, & quidquid hac in re gestum est graphicè descripsit P. Amenus in sua Practica Crimin. tit. 8. *Accusatio*, quæst. 5. num. 71. ibi:

74 *Potest ergo dari similis casus in Religione: si enim esset aliquis Religiosus potens apud Curiam Principis, vel Magnates Reipublicæ, aut Civitatis, vt frequenter accidit: si contra hunc de aliquo crimine fieret accusatio & à Iudice acceptaretur, maius malum in detrimentum Religionis oriretur (siquidem ille fretus amicitia potentum, apud quos bene audit, Iudicis authoritatem eluderet, & multa mala Religioni causaret.*

75 Huius doctrinæ rationem assignans exprimit totum contextum defensionis P. Victoriæ his verbis, ibi: *Diceret enim, Provincialem ex æmulatione, quàm habet contra ipsum malignasse, falsaque crimina ipsi imposuisse, testes corrupisse, & ad passionis libidinem omnia movisse, vt ipsum infamaret. Credunt, vt solent, Sæculares his talium hypocritarum nugis; scandalizantur, dum audiunt, in Religione tantam malignitatem debacchari: Superioribus succensent; subditis insultant; de Religione aliàs commendata obmurmurant; fontis patrocinium suscipiunt: authoritatem Principis implorant: scribitur ab istis ad maiores Superiores: repræsentant, Religiosum esse intaminatæ vitæ, & Principi charissimum: Provincialem laborare contra illum invidia & ob hanc suscitasse contra illum persecutionem: nullomodo tolerandum esse, vt liceat Prælato privatæ passioni publica authoritate satisfacere, ob tales recommẽdationes moventur Superiores maiores, qui cum talis Magnatis habent negotia, vt illos sibi obligent, prosecutionem processus impediunt* (ob iusta aiunt motiva) *crimen sepeliunt, triumphat Reus: Provinciali insultat, iustitiam ridet; impunitus, incorrectus, pervicax in malo perseverat.*

76 Nihilominus quamvis Provincialem hæc excusent, tamen, postquàm Generalem suum, prædicto modo, certiorem facit, si ei Generalis præcipiat, vt in Causæ cognitionem procedat; procedere debet, non obstantibus omnibus suprамemoratis impedimentis: cuius quidem rei rationem Amenus citatus his verbis exprimit: *Si verò iubet, vt omnino iustitiam exerceat, iam habebit maius robur ex eius assistentia; nec ita facilè erit Reo per favorem potentium Superioribus imponere, & falsam innocentiam vendere.*

77 Debuit ergo Rmus. Pater, contra P. Victoria procedere, eò quòd iste Vicariatus

Provincialis munus obiret, nullumque in illa Provincia Superiorem haberet, nè illius malo exemplo tota illa Provincia deficeret, aut corrueret. Cap. *Sicut inquit* 2.q.7. ibi : *Sicut inquit, laudabile, discretumque est, reverentiam, & honorem debitum exhibere Prelatis, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite.*

78 Antequam Rmus.P. ad Sanctæ Valentinæ Provinciæ Capitulum celebrandum progrederetur, iam ei innotuit ex infirmativo, non modò Patris Victoria diffamatio sex testium munimine roborata, sed etiam particulare crimen, de quo erat inquisitus, quatuor testibus attestatibus illud particulare piaculum. Vnde potuit eum non vocare ad electionem, quia crimen inhabilem eum afficiebat, vtpotè quia ipso iure erat inflicta pœna privationis vocis activæ, & passivæ; & in his criminibus potest Vocalis, ante sententiam privatus, non vocari, secundùm communiorem sententiam. Miranda tom.2.quæst.23.num.6. Panormitanus in cap. *Illa quotidiana*, de elect. n. 7. & in cap. *Vintonensis* 15. n. 14. eod. tit. Barbosa ad cap.2. de Postulat. Regular. n.4. & lib.1. de Iure Ecclesiastico, cap. 19. num. 89. Passerinus de Elect. cap.11. num.73. Et in specie criminis fornicationis, vel adulterij, Bordonus, tom. 3. resolut. 61. sub num.8. Laborius, tit.4. de Elect. cap.15. num.70. & 75. Abbas in cap. *Vestra* de cohabitatione Clericor. & mulier. num.5. & 6. & seqq. & etiam cum Præsidi innotescere crimen, esseque plusquàm semiplenè probatum, potuit eum carceri mancipare, vt infrà probabimus, & ex consequenti eum ab electione repellere, cap. *Quod sicut* 28. de elect. Sigismundus de elect. dub.86. num.7. Bordonus, tom.3. variar. part.2. resolut.61. à num.3. cum seqq.

79 Vel potuit etiam ab electione repellere, secundùm praxim nostri Ordinis, secundùm Sanctorum, in tractat. de Pœn. cap.15. vers. *Scio* in med. pag. 161. & vers. *Tandem dico*, pag. 163. ibi : *Tandem dico pro complemento, posse suspendi Vocalem, quando illius fama nimis gravatur per accusationem, & per semiplenam saltem probationem cum diffamatione coniunctam*: asserens, nihil obstare, quòd puniatur ante sententiam, & antequàm plenè probetur delictum, & perfectè audiatur Reus : quia cùm maius sit bonum electionis, integrèque sine hoc voto particulari possit consistere, non est mirum, quòd hæc pars individua cedat, & reservetur completa punitio post electionem; naturali enim iure cogimur (vt ait Sanctorus) partem *perdere*, vt totum servetur; & sic cùm electio differri non possit, & iste infamatus *convenire non debeat*, consequens est, vt in hoc casu cedat. Confirmat Sanctorus suam resolutionem, vers. *Ad secundam quæstionem*, pag. 165.

80 Procedit prædicta doctrina, non solùm in exceptionibus merè civilibus ratione causæ, & finis; quales sunt, quæ simpliciter opponuntur ratione defectus non culpabilis in Vocali; vtpotè deffectus natalium, Ordinis, Scientiæ, &c. secluso animo iniuriandi, sed etiam in civilibus respectu finis, & intentionis eas opponentis, licèt fundentur in crimine; quia tales exceptiones, etiamsi fundentur in crimine, tamen appellantur civiles, cùm opponuntur non ad punitionem, sed ad consequendum bonum electionis: & evidenter probatur vtraque pars distinctionis ex Ameno in Formulario, sectione 2. num.28. & 30. vbi exceptionem civilem vocat, tam quę procedit ex defectu non culpabili, quam quæ provenit ex defectu culpabili; dummodo excipiens non intendat punitionem, sed solùm repulsionem à voce, vel dignitate; vnde asserit in Practica, tit.12. §.2. num.15. esse de substantia Libelli exceptorij in civilibus solùm intendere repulsionem, in criminali autem addit, excipientem petere debere, Reùm de crimine obiecto iuxta leges puniri : quod in practica docet clarissimè; nam deveniens ad formulam exceptionis civilis ordinatæ ad legitimam electionem, sectione 2. num. 28. post Libellum numerat & articulos: & num. 1. & 2. ponit exceptiones civiles proprias, ibi : *Quòd est ignorans, & nescit regulam, quòd est illegitimus*, &c. & prosequitur numerando civiles ratione finis; provenientes autem ex delicto, ibi : *Seu habet talem irregularitatem ex defectu, seu delicto : quòd introduxit mulierem intra claustra : quòd est privatus actibus legitimis ob delictum* : Et in Formula 30. Libelli exceptorij criminaliter enumerat primo loco exceptionem defectus natalium, quæ provenit ex facto inculpabili, deinde dat articulos fraudationis eleemosynæ Conventus, & fornicationis scandalosæ.

81 Vnde inter exceptionem civilem, & criminalem nulla alia assignatur differentia

à

à Patre Ameno quamque resultat ex fine, & modo proponendi eam; nam si opponatur, vt bonum electionis sequatur, non progrediendo, nec intendendo punitionem, est exceptio civilis, sive inhabilitas proveniat ex facto culpabili, vel ex non culpabili, sive oriatur ex causa criminali, vel ex defectu civili; quod etiam est secundùm mentem Sanctori, de Pœnis dict.cap.15.pag.ibi: Vbi explicans exceptiones Civiles, & Criminales, de quibus in sua Practica Criminali, tit. de Except. fol. 25. hæc habet verba: *Ex quorum verborum contextu elicitur diversitas modi procedendi in vtraque exceptione. Nam ex eo, quòd prohibetur admitti criminalis (quia ordinetur ad pœnam corporalem, vltra remotionem à Capitulo, reus legitimè se tueri debet) infertur, quòd in exceptione civili, ordinata solùm ad legitimam electionem, non est vsquequaquè talis ordo servandus, sed sufficit summaria, & compendiosa processio, quæ, inquam, expediri posset brevissimo tempore, qualis esset, exemp. gratia, si in eodem Capitulo deferrentur Litteræ ipsius Rei, vel missæ à Fratribus, & Superiore Conventus, significantes dilapidationem, vel furtum, &c.* Vbi admittit, quòd exceptio orta ex crimine, veluti furtum, potest opponi civiliter ad excludendum Vocalem, cùm ordinetur ad legitimam electionem, & sufficiet summaria, & compendiosa processio, quæ brevissimo tempore expediri possit.

82 Hoc ipsum intendit Amenus in Pract. tit.12. *Exceptio*, §. 3. num. 12. Nam licèt videatur asserere, quòd exceptio civilis est, cuius fundamentum non est crimen; attamen, bene inspecta doctrina, debet intelligi de exceptione repellente testem, vel Iudicem, quæ debet terminari in eodem Processu, & insuper in separato Processu deveniri debet ad punitionem: quia exceptio criminis opponitur à Reo pro suo iure tuendo, & ad propriam defensionem: Iudex autem ex Officio, & sine processu novo non potest ad punitionem devenire, quo modo efficitur criminalis, vt docet dict.tit.12. §. 1.num. 3. Et in Formulario, sectione 2. annotatione 1.num. 29.

83 Vnde Sanctorus, dict.cap.15.pag.162. suam sententiam exemplis probat: primò in Ministro Generali, qui in syndicatu repertus fuerit reus, & officium renunciare noluerit, eijciebatur à Capitulo, & ad alterius electionem deveniebatur, tempore quo erant perpetui, vt habetur in statutis Alexandri, cap.8.tit. de celebrat. Capituli Generalis, pagina 150. Et licèt hoc statutum moderatum sit in Salmanticensibus, cap.8. & Vallis-Oletanis anno 1593. quoad Ministrum, & Commissarium Generalem; quia exceptio format regulam in cõtrarium, & quod excipitur in generalibus, conceditur in alijs Vocalibus: ex quibus, & alijs concludit Sanctorus, pag.162. ibi: *Sensus igitur Religionis est, Vocales posse iudicari in ipso Capitulo.* Et ibi: *Posse ante electionem suspendi, & deponi.* Idem probat Bordonus, tom. 3. resolut. 61. num.62.63. cum num.8. Vbi distinctionem facit inter crimen fornicationis, cui à iure est imposita privationis pœna, in quo sufficit infamia facti ad repellendum Vocalem, quando eius fama nimis gravata est ab alijs criminibus, in quibus, non obstante querela, potest inquisitus ante sententiam eligere, quando infamia facti non iubatur à iure. Idem sequitur Riccius, part.5. decis.327. Tonduto, quæst. Canonicar. lib.1.cap.44.num.2.3.& 4. Quibus addi possunt Hostiens. Cap. *Accusat*.4. de Simon. Bellet. Clerical. num.38. apud Barbos. tom. 3. Collectan. Doctor. Cap. *Accusat*. 4. de Simon. Cardin. de Luca, de Regularib. num.5.

84 Nec relevat, quòd aliqui distinguant in specie casus, inter eiectionem Vocalis à Capitulo, & ipsius non admissionem, si non præcessit citatio, asserentes, posse inquisitum, & diffamatum non citari, quando pœna privationis est imposita ipso iure. Vnde taliter non citatus, licèt possit querelari, non tamen potest cassare electionem, si crimen posteà plenè probetur; citatum autem non posse eijci à Capitulo, quia impediretur in vsu suæ vocis, & in iure acquisito per citationem: quia respondetur primò, loqui in citatione speciali, non in generali, cuius vigore, solùm citati reperiuntur qui habent ius ad electionem; quia dirigitur generalis ad Electores in communi, non comprehenditque infamatos infamia iuris, vel reos, quibus pro delictis imposita est pœna privationis, ipso iure: Secundò, quia opinio Doctorum, contrarium tenentium, nihil contra praxim Ordinis valet probare. Vnde licèt Peyrinis in eam sit sententiam, vt à sententia privationis detur appellatio; tamen tom. 1. de Subdito ad Constitutionem Leonis X. cap.1.num.19. in fine, testatur, aliter servari in praxi in Re-

li-

ligione Minimor. Tertiò, quòd licèt posset opinio sustineri in Inquisito, & diffamato ante citationem, non potest se extendi ad casus ignoratos tempore citationis, & quæ de novo emergunt, citato Capitulo: quia in istis, licèt statutum, vel lex prohibeat privationem, seù suspensionem Vocalium tempore Capituli, non comprehendit casus ad notitiam Præsidis noviter deventos; taliter, quod est in facultate Præsidis admittere accusationem, & procedere contra Vocalem. Sic Lantusca in Theatr. Regular. verb. *causa*, seù *lis*, à num. 1. vsque ad 6. Et Sanctorus *de pœnis*, cap. 15. pag. 160. vers. *Respondeo*, ibi: *Respondeo ad primam, etiam si statutum assignet terminum, intra quem causę examinari debeant, non propterea prohibet procedi in causa, quæ de novo emergeret; quia dispositio tangit casus iam emersos ante citationem Capituli.* Et pagina 164. vers. *Respondeo*, ibi: *Posset etiam Præses Capituli accusationem non acceptare, vel differre post electionem; quando autem procedere voluerit, poterit Vocalem è Capitulo pellere.*

85 Vnde satis fit Statuto Generali, cap. 8. §. 39. num. 12. & Decreto Sacræ Congregationis 27. Maij 1626. quia loquuntur de casibus iam emersis, vel de diffamatione ante citationem Capituli, & de privatione, quæ longè distat à suspensione, & eiectione à Capitulo: Sanctorus de Pœnis, cap. 2. pag. 65. versic. *Dico igitur primo*: nec loquuntur de delictis, quibus imposita est poena privationis ipso iure.

86 Cùmque posset prædicta omnia facere Rmus. P. Commissarius Generalis, Patremque Victoria à Capitulo excludere, vel non citando, vel eum carcerando, vel cum à voce suspendendo, adhibendo solemnitates iuris; nihil horum fecit, summa cum benignitate procedens. Immò & cum posset Capitulum celebrare die 27. Octobris, in quem diem convocatum fuerat, (& adhuc multò anteà) expleto nempè trienio, 28. die Maij, & adhuc retro sex mensibus, quibus poterat illius celebrationem antevertere, iuxta Ordinis Constitutiones, cap. 8. de Officijs, quibus Ordo regitur §. 15. vers. *Omnes Ministri Provinciales*: in cópilatis anno 1676. ex Bulla Leonis X. & ex Salmanticensibus, cap. 8. in quo quidem eventu P. Victoria, sine Patris Provinciæ honoribus remansisset, iuxta expressam prędicti cap. 8. Constitutionem, §. 15. vers. *Qui vero*: in quo nullam ei Rmus. P. irrogabat iniuriam, cùm suo vteretur iure. Leg. *Iniuriarum*, §. 2. ff. de Iniurijs, l. 3. §. *His autem*, ff. de libero homine exhibendo, cap. *Cum Ecclesia* 21. vers. *Quia* de elect. Barbosa axiomate 135. num. 8.

87 Nihil horum fecit Rmus. P. Com. Generalis, immò potius contra communem consuetudinem Ordinis in hac Familia celebrandi Capitula in Sabbatho, eodemque die, in quem convocatum est; illud in diem 28. distulit; eò quòd Sabbathum immediatum subsequens extra semestre esset. Ingens re vera beneficium! at P. Victoria non modò eam, qua par erat, æstimationem, sed accerbissimum potiùs odium ingessit: quare cum Erasmo in Adagion. pag. 361. jure optimo dici poterat.

Simul & mihi certum est, interijtque gratia:
Servatus vsque ingratus est, & immemor:
Post munus illicò consenescit gratia.

88 Capitularibus actis absolutis; cum causa contra Patrem Victoria continuari deberet, & Valentiæ in eum inquiri; congruentissimum duxit Rmus. P. quòd valdè expediret, immò & necessarium esset illum à dicta Civitate removere, ne testes corrumperet, causæque cognitionem perturbaret; & hac ratione motus obedientiam, num. 44. relatam, ei notam fieri præcepit.

89 Potuit Rmus. P. eum ad custodiam in carcerem detrudere; & ad hoc sufficiebat, quòd de delicto semiplenè innotesceret: quamvis enim criminalis causa non debeat à captura inchoari. Leg. *Nullus in carcerem* 2. & in leg. final. C. de exhibendis, & transmittendis reis. Antonius Gomez variar. tom. 3. cap. 9. num. 1. Conciolus, allegat. 99. num. 22. & resolut. 6. verbo *Captura*, à num. 5.

90 Et inter regulares hoc idem sequuntur Carena, part. 3. tit. 3. num. 23. Bictus, quæst. 78. Bordonus, Soroyus, Franciscus à Sancto Julio, relati à Passerino in Tribunal. Regular. quæst. 21. artic. 3. num. 17.

91 At, cum ex indicijs semiplenè, aut plusquàm semiplenè delictum innotescit, tunc ad

ad capturam procedi potest, vt tradunt Farinacius de carceribus, & carcerandis, quęst. 27. à num. 123. Scacia de iudicijs, lib. 1. cap. 42. num. 7. & 8. relinquens examen probationis sufficientis Iudicis arbitrio. Scialus in pract. torquendi reos, cap. 2. à num. 5. & Carena de Officio Sanctæ Inquisitionis, part. 2. tit. 2. à num. 19. Conciolus resolut. 6. verb. *Captura*, à num. 5.

92 Inter Regulares etiam sufficit semiplena delicti probatio, vt perdoctè docet Passerinus in suo Tribunal. Regular. quæst. 21. art. 3. num. 17. in medio; vbi, proposita quæstione: *Ex quibus indicijs possit Inquisitus carcerari?* ad quæstionem sic respondet: *Item si adversus delinquentem sit saltem semiplena probatio ex gravibus indicijs, vel ex dicto vnius testis omni exceptione maioris consurgens, & in actis deducta.* Consonat Bordonus in Praxi Criminali, cap. 5. num. 16. ibi: *Dico, si timetur fuga, sufficit minor, & infima probatio; aliter necessaria est semiplena probatio.* Et cap. 66. num. 7. ibi: *Hac legitima indicia consistere in semiplena probatione delicti, propter quod reus carceratur.* Et infrà eodem numero: *Sed re vera sufficit semiplena probatio.*

93 Et quamvis Petrus ab Angelis, cap. 13. num. 9. & Fr. Antonius à Spiritu Sancto in Direct. tractat. 4. disputat. 3. num. 230. defendere voluerunt, ad carcerationem necessarium esse, delictum duorum testium depositione probari; illorum tamen opinio communitèr reprobatur, & impugnatur à Bordono in Practica Criminal. cap. 66. num. 7. ibi: *Confirmatur ex stylo Sancti Officij, quòd nunquam dat mandatum capiendi reum, nisi semiplenè delicto probato.* Concordant Genuensis, cap. 68. num. 1. vers. *Cum carceratio* Diana part. 4. tract. 8. resolut. 11.

94 Passerinus d. quæst. 21. art. 3. num. 7. ibi: *Voluit verò Antonius à Spiritu Sancto* tractat. 4. disputat. 3. num. 4. (debet esse num. 230.) *Quòd ad carcerandum reum Religiosum requirantur duo, vel tres testes contestes; & Petrus ab Angelis, ad hoc requirit maiorem probationem quàm semiplenam: sed hac nec obseruantur in praxi, nec vera sunt iuxta communem doctrinam, nam ad carcerationem sufficit semiplena probatio delicti.*

95 Et quamvis Carena part. 3. tit. 2. num. 25. (& non num. 2. prout citatur à Passerino, nec tit. 24. & 25. prout citat Bordonus) censeat, cum in virum nobilem, vel insignem; & Fr. Antonius à Spiritu Sancto, in Decret. tractat. 4. disput. 3. section. 8. num. 229. & 230. *Cum in Patrem gravem, & de sua Religione benemeritum proceditur, debere delictum duobus, aut tribus testibus probari, vt ad capturam deveniatur.*

96 Illorum doctrina in casu nostro locum non habet ad Patris Victoria in carcerationem impediendam, aut suspendendam, cum iam ante Capituli celebrationem, illius delictum innotesceret; non modò attestatione, & asseveratione duorum, sed & quatuor etiam testium contestium depositione; in quo casu ad incarcerationem insignis, nobilisve personæ, iuxta Carenam loco citato, & Religiosi gravis, ac de sua Religione benemeriti procedi debet iuxta eundem P. Antonium à Spritu Sancto d. tract. 4. disputat. 3. section. 8. num. 229. vbi post additam limitationem illam de captura ex indicijs, præsertim, si viri insignes sint, & de Religione benemeriti, sic prosequitur: *Vndè tunc solum procedendum est ad capturam, quando duo, aut tres testes contestes testimonium ferant contra Religiosum.*

97 Immò nec talis doctrina de nobili, & insigni Religioso, debebat attendi: bona enim fama, & opinio semiplena probatione amittitur, cap. 4. de Accusationib. insignisque Nobilitas, & bona fama turpi ipsius delinquentis iniquitate offenditur, & fœdatur, iuxta Bordonum in Praxi Criminal. cap. 66. num. 7. in fine, vbi Carenæ auctoritate sic respondet, ibi: *Quòd si persona sit bona fama, & insignis nobilitatis, maiora indicia requiruntur secundum Carenam, &c. Sed bonam famam certè amittit ex querela ita semiplenè probata: ergo capi potest non obstante eius nobilitate, quam offendit, & depressit, ex sua iniquitate.*

98 Concordat Passerinus in Tribunal. Regular. addens: *Id penes Iudicis arbitrium remanere; quia quòd Carena, illiusque sequaces docent, potius procedit ex consilio, quàm ex rigore iuris.*

99 Passerini verba dict. quæst. 21. art. 3. num. 17. post medium sic se habent: *Verum est, quòd, vbi agitur de persona fama bona, & insignis nobilitatis, requiri maiora indicia, dixit Carena: sed hoc est de consilio, & non de rigore iuris. Nam aliàs qui habet contra se delictum semiplenè probatum, suam famam maculauit, & nobilitatem depressit. Ideo in hoc arbitrium Iudicis prudentis, est necessarium, vt non Iustitia patiatur, & ex alia parte rigor prudentia temperetur.*

100 Po-

100 Potuit etiam Rmus. Pater Patrem Victoria carceri mancipare; eo quòd adessent, nō modò legitima indicia, sed plusquàm semiplena probatio, *& procedebatur propter delicta carnis gravissima*; in his enim terminis ad capturam potest deveniri, vt expresse Bordonus in Praxi, cap.66. num.18. ibi: *Quæres 12. quænam sint delicta, propter quæ quis carcerari possit? Respondeo: Sunt omnia illa, super quæ processus formari potest, & puniri pœna corporali, vt delicta carnis, homicidij, &c.*

101 Idem docet Passerinus in Tribunal. Regular. quæst.21.art.3. num.14. in fine, ibi: *Delicta verò, pro quibus potest querelatus carcerari, sunt homicidium, delicta carnis, vulneratio gravis, &c.*

102 Potuit etiam minori quàm semiplena probatione P. Victoria in carcerem conijci, eo quòd illius scelus esset atrox; sic enim incontinentiæ crimina vocantur; maximè cùm Rmus. Pater de illius fuga rationabiliter posset dubitare, prudenterque credere, testes ab illo impediendos, aut corrumpendos esse, quod eruditè notat Amenus in Praxi, tit.19. *Reus*, §.2. num.6. ibi: *Si Reus esset in Religione potens, & magnæ authoritatis, & legitima esset suspicio, quòd manens in libertate testes deterreret, aut corrumperet, & delictum atrocissimum esset, possit talis casu carcerari, etiam antequàm delictum sit semiplenè probatum. Advertendum autem, quòd captura Rei suspecti, vel de fuga, vel de subornatione, vel impedimento testium, non præexigit probationem semiplenam delicti, sed sufficit, quòd simus in casu atrocissimo, & quòd Iudici taliter qualiter constet de reo, ita vt rationabiliter suspectus Iudici reddatur, quòd aut fugiet, aut testes impediat si liber relinquatur.*

103 Passerinus in Tribunal. Regular. quæst.20. art.3. num.21. idem scribit, inquiens: *Secundus casus est, si delicto existente gravi, immineat periculum, vt subornentur testes, vel impediantur, ne possent examinari, aut veritatis, & delinquentis delictum cognosci non possit, nisi illi prius sit carceri traditus: in hoc enim casu, licèt non ex simplici, & nuda querela, tamen ex probationibus indiciorum, licèt minorum semiplena probatione potest ad capturam deveniri, si Iudici saltim summarie de hoc periculo constet; huius ratio est, quia Iudex qui est custos Iustitiæ, non debet permittere, quòd Iustitiæ causa dolosè impediatur, & in hoc casu Reus impune fugeret Iudicium, licèt corporaliter non fugeret.*

104 Licita etiam fuisset huiusmodi incarceratio ob qualitatem criminis, quod cum ex se esset gravissimum, suspicionem fugæ inducit, vt tradit Fr. Antonius à Spiritu Sancto in Directorio, tract.4. disput.3. sect.12. num.418. ibi: *Ex qualitate verò delicti oritur suspicio, quando crimen est enorme, & gravissimum, vt si sit homicidij, fornicationis, &c. tunc enim nulli dubium est, quòd recta ratio in suspicione fugæ inducit.*

105 Et in hoc suspicionis casu posse Religiosum incarcerem mitti, sentiunt ex Regularibus Pelisarius tractat. 9. cap.4. num.23. Megal. verb. *Carcer*, num.2. & 15. Bordonius tom.2. resolut.58. num.37. & Fr. Antonius à Spiritu Sancto in Directorio citato, tractat. 4. disputat. 3. section. 12. num. 416. vbi asserit, sufficere tunc semiplenam probationem delicti.

106 Decretum carcerationis ad custodiam datum contra Patrem Victoria tantò magis iustificaretur, quandò non solùm P. Victoria ob qualitatem delicti erat de fuga suspectus, sed etiam quia aliàs aufugit. vt constat ex Epistola totius Diffinitorij Valentinæ Provinciæ directa ad Rmum. Patrem Fr. Iosephum Ximenez à Samaniego 1. Martij 1677. & ex alia Rdi. P. Fernandi Lopez tunc temporis dictæ Provinciæ Provincialis Ministri, quæ originales in Archivo Ordinis Matriti asservantur.

107 In specie huius casus extat doctrina expressa in Ameno tit.19. *Reus*: num. 6. ibi: *Diximus aliàs quibus in casibus possit dici aliquis suspectus de fuga, nempè, vel ratione personæ Rei, qui aliàs aufugit, aut si esset Iuvenis parum timoratus, audax, &c. vel ratione atrocitatis delicti, cui pœna corporalis gravis sit imponenda.*

108 Ob omnia ista motiva, & vnumquodque illorum, licita fuisset Patris Victoria incarceratio, quin ei suffragari possit dignitas, qua in sua Religione insignitus erat, & æstimatio, quà à sæcularibus habebatur; absque eo quòd Rmus. P. C. Generalis aliquam illi exprimeret causam. Bordonius tom.5. Praxis Criminal. cap.66. à num. 29. ibi: *Quia captura*

tura non iustificatur per redditionem rationis, sed ex illis duobus, quorum vnum est semiplena probatio delicti; alterum est probatio præsumpta imminentis fugæ; & hæc facilè præsumitur: & licèt Ecclesiasticus non ita facilè sit carcerandus, sicut laycus, quia Ecclesiastici sunt in Ecclesia Dei, vt candela super candelabrum, vt alijs luceant; ex quo nec extingui, nec obtenebrari debent per carcerationem; nihilominus, posito vno ex illis duobus, benè carcerantur, quia ex suis malis actibus candelam suæ dignitatis extinxerunt.

109 Quamquam ergo Rmus. Pater æquissimè potuit supra memoratum Patrem carcerare mandare, id non prætitit; quinimò singulari benignitate procedens, tantùm eum à Valentina Civitate removit, vbi in illius causa procedendum erat. Videbatur enim periculosa eius assistentia ob testium corruptionem, & probationum impedimenta, quæ Rmus. prævidit, & fugæ effectus posteà comprobavit; deditque illi regularem Obedientiam num. 44. relatam, vt in Alonensi Conventu remaneret, in quo nullam ei intulit iniuriam.

110 Obedientia P. Victoriæ data, regularis obedientia vocatur, non regularis, quia communis; sed quia cum omnibus suis modificationibus, limitationibus, & restrictionibus expressis in illa, limites Regulæ nostræ non excedit; & quod verbis dissertis in Obedientia Patri Victoriæ data continebatur, implicitè in omnibus alijs Obedientijs inhibitur; nullus enim Fratrum exire potest extra territorium Guardianiæ sine expressa licentia Generalis, aut Provincialis; aliter vt inobediens, & apostata punitur ex Statutis Barchinonensibus.

111 Neque contra hoc PP. Consultores aliquid afferunt, affirmantes solùm, quòd hoc effugium Obedientiæ Regularis evertit formalitas adhibita, cùm fuerit intimata in scriptis, per Notarium, vel Secretarium Generalem; coram testibus, ex qua solemnitate inferunt, quòd ille actus non fuit Obedientia regularis, non paternus, nec œconomicus, sed iudicialis: sed re vera toto aberrant cœlo, cù lex nostro Amena, tit. 1. *Quid Iudex*, num. 130. constet, hanc intimationem coram testibus requiri semper, & quando vult Prælatus, quòd publicè, & authenticè de suo constet præcepto.

112 Et in hoc subditus non gravatur, quia si res præcepta continetur intra limites potestatis Prælati, liberum est illi præcipere illam verbo, nutu, aut scripto coram testibus; vel sine illis intimare præceptum per se ipsum, vel per alium: omnia enim hæc accidunt rei præceptæ, & eius naturam non mutant; vt satis apertè deducitur ex Suarez tom. 3. de Religione, lib. 10. cap. 2. de Obedientia. Ex Pelissario, Manuali Regularium, tom. 1. tractat. 4. cap. 4. num. 30. Et ex Peytino tom. 1. de Subdito, quæst. 1. cap. 4. per tot.

113 Ratio est; quia, vt loco citato docet Peyrinis, *Quando Prælatus strictiùs vult obligare, strictioribus, & formalioribus vtitur modis*: Cùm ergo strictior, & modus formalior obligandi fit per obedientiam intimatam in scriptis per Secretarium coram testibus, hæc formalitas, vel modus solùm erit signum, quòd Prælatus strictissimè vult obligare subditum. Cum autem hæc expressio voluntatis Prælati sit iuxta Regulam; & subditum nullo modo gravet; sequitur, quòd licèt adsit iste modus, & formalitas in Obedientia Patri Victoriæ intimata, non propter dictam formalitatem, regularis, paterna, & œconomica non erit.

114 Etiam, quia obedientia Religiosa: *Est promissio solemnis Deo, hominique facta simul* vt expressè docet Suarez dict. tom. 3. lib. 10. cap. 3. Homo autem potest iustè exigere rem sibi debitam, quacumque formalitate adhibita, cùm non sit prohibita iuribus. Cum autem nulla adsit prohibitio intimandi Obedientiam regularem, media scriptura, per Secretarium coram testibus, talis solemnitas; non erit repugnans obedientiæ regulari, neque per illam formalitatem P. Victoria potest dici gravatus, cum liberum sit Prælato vti iure suo.

115 Etenim; nec P. Victoria; nec vllus alius Seraphicæ Religionis alumnus potest sibi locum, aut domum appropriare quin suæ Regulæ transgressor non efficiatur, ex cap. 3. vbi dicitur: *Fratres nihil sibi approprient, neque Domum, neque Locum, nec aliquam rem.*

116 Et si alicuius Conventus Religioso habitationem designare, iniuria, & gravamen esset, nullus in tota Religione Seraphica esset Religiosus, cui simile gravamen non esset illatum: Imò perquam plurimi essent gravati à P. Victoria in sui Provincialis Vicariatus biennio.

117 Illatæ tamen non fuere, quia Superiori licitum est habitationem suis subditis designare

nare (cum non repugnent iura propter speciales aliquas rationes) iuxta cõstitutionem nostram ex Salmanticensibus, cap. 6. & in copilatis, cap. 6. §. 4. Subditi enim ex voto, prompta, resignataque voluntate obedire tenentur, ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 104. artic. 2. ad 3. Sanctus Laurentius Iustinianus in Ligno Vitæ, tractat. de obedientia, cap. 1. Peyrinis de Subdito, quæst. 1. cap. 1.

118 Quod ita Religiosos ad suis Superioribus obediendum adstringit, vt, quamvis à suis Superioribus mittantur ad habitandum Cœnobia aëre nocivo infecta, eis debent obedire, iuxta Fratrem Antonium à Spiritu Sancto in Direct. tractat. 3. disputat. 6. sectione 1. num. 64. ibi: *Colliges 3. teneri Religiosos ire ad habitandum in Cœnobijs aëris intemperie laborantibus, cùm hoc expediat ad conservationem Religionis.*

119 In nostro autem casu in dubium revocari nequit obligatio, in qua Obedientia data Patri Victoria constitit; cùm ei præceptum fuisset, vt in Alonensi Conventu moraretur sub Sancta Obedientia, quæ obligabat sub mortali, vt tradunt plures apud Sanchez lib. 6. in Decalogum, cap. 4. num. 43. & Peyrinis de Subdito, quæst. 1. cap. 5. §. 4. vers. *Dico 3.*

120 A quo Conventu, licèt esset reclusus, discedere non poterat, cùm esset locus per Obedientiam destinatus. Ita omnes cum Sanchez lib. 6. cap. 8. num. 12. Bannes 2. 2. quæst. 59. artic. 4. conclus. 5. Ledesma tom. 2. Summ. tit. 8. cap. 24. fol. 781. Sayrus lib. 12. cap. 18. num. 9. præsertim cum adhuc reclusio, quæ fingitur esset iusta. Bordonus tom. 5. Praxis Criminal. cap. 54. num. 21. pag. 111. ibi: *Quod iustè carceratus, non possit fugere, probatur ex adductis rationibus, & à fortiori, cum sit in loco ex obedientia constituto.*

121 Maximè verò cum huiusmodi præceptum Obedientiæ honestum fuerit, & iuxta Regulam, expressamque Constitutionem Regulam declarantem in copilatis dict. §. 4. vers. *Dicimus: Qui ad huiusmodi obedientias revocandas media procurant, esse loci appropriatores;* vt tradunt Miranda in Manuali, tom. 1. quæst. 26. artic. 3. conclus. 2. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 104. artic. 5. Peyrinis de Subdito, quæst. 1. cap. 5. §. 4. vers. *Dico 4.* & obedientia data Patri Victoria regularis erat, vt manet probatum à num. 109. vsque ad num. 114.

122 Hæc doctrina, in qua generaliter comprehenduntur omnes Religiosi, specialiter, & singulariter adstringit nostræ Seraphicæ Religionis subditos; cùm expressius sit nostræ Regulæ contextus, eius professores debere in conscientia suis obedire Prælatis: *In omnibus, quæ non sunt contra animam suam, & Regulam nostram.* Et ideò tenentur subditi Franciscani *obedire strictius, quàm alij Religiosi*, vt tradunt Sanctus Bonaventura cap. 1. Regulæ super verba: *Vivendo in obedientia.* Bernardinus à Bustos in suo Sermonario, part. 2. Sermone 27. Miranda in Manuali, tom. 1. quæst. 26. artic. 12. Lessius de Iustitia, & Iure, lib. 2. cap. 41. dubio 9. num. 77. Peyrinis de Subdito, quæst. 1. cap. 8. versic. *Propter ista*, ibi: *Fratres Minores ex vi voti obedientiæ tenentur obedire suis Prælatis strictiùs, quàm alij Religiosi.*

123 Nec regularem obedientiam perturbat, quòd P. Victoriæ iniunctum sit præceptum, vt solummodò posset ad Alonensem Civitatem, & non ad alia loca, & Conventus exire; quia licèt strictiùs præceptum sit in alterius cellam non ingredi, ad Conventus hortum non descendere, per talem vicum non transire, ad talem sæcularis domum non accedere, cum hac vel illa persona non loqui; tenetur nihilominùs Religiosus omnibus hisce præceptis, & cuilibet illorum parere, cum omnia, & singula obligent sub mortali, adhuc in Religionibus, quæ eum rigorem obedientiæ non tenent, quam nostra profitetur: Cum omnia hæc præcepta, non sint supra obedientiæ votum, & ordinentur ad Regulæ observantiam.

124 Sic docent Panormitanus in cap. *Relatum, nec Clerici, vel Monachi*, num. 6. Sanchez in Decalogum, lib. 6. cap. 2. num. 8. Sayrus in Clavi Regia, lib. 3. cap. 7. num. 14. & 15. Suarez & alij, quos refert Peyrinis de Subdito, quæst. 1. cap. 5. §. 4. versic. *Hæc tamen intelligenda sunt*, in fine, ibi: *Præcipere potest Prælatus sub mortali, ne aliquis Religiosus accedat ad hortum communem Conventus, aut ad talem sæcularis domum, aut ne transeat per talem vicum, etiamsi cum licentia sua exierit extra Conventum, aut ne cum tali persona loquatur; Hæc enim, & similia, licèt in se considerata sint parui momenti, comparata tamen ad honestatem, & bonum nomen Religiosorum, aut ratione scandali, periculi, aut alterius circumstantiæ, efficiuntur res magni momenti, & obligant ad mortale.*

125 Id

125 Id ipsum eisdem formalibus verbis resolvunt Diana, part. 5. tract. 5, resolut. 18. Sanchez, Salas, Montesinus, Medina, Baldesus, Molfesius, & Bordonus, quos citat, & sequitur Frater Antonius à Spiritu Sancto in Directorio, tractat. 3. disputat. 6. sectione 1. num. 91. vers. *Idem dicendum est.*

126 Percontari nunc liceat: quod præceptum includit strictiorem reclusionem? Præceptum impositum Religioso, non accedendi ad hortum communem Conventus? aut præceptum non eundi ad alium Conventum, non accedendi ad talem Sæcularis domum, & non transeundi per talem vicum, aut præceptum impositum de non se transmittendo in aliũ locum? Certè strictiora sunt præcepta relata à Peyrino, quàm Patri Victoriæ imposita. Si ergo illa, secundùm tot, & tam graves Doctores ad peccatum mortale obligant, quomodo Pater Victoria *potuit impunè spernere præceptum, & sine peccato non obedire?*

127 His additur, nec Pm. Victoria potuisse huiusmodi Obedientiæ causam petere, nec Rmus Pater debuisse eam illi reddere; pro Prælato enim præsumitur, occultaque causa permotus creditur, quamvis subditus ignorantiam simulet, vt rectè advertit Bordonus, tom. 3. variar. resolut. part. 2. resolut. 58. num. 46. ibi: *Neque Subditus excogitare debet causas huiusmodi præceptorum stante bonitate, & prudentia Superioris, qui quandoque occultam habet rationem, & causam, ita præcipiendi, licet ignotam Subdito, cui illam non tenetur revelare, cùm in omnibus licitis iam ex voto obedientia propriam voluntatem illi subiecerit.*

128 Idem docet Amenus in sua Pract. Criminal, tit. 18. num. 13. ibi: *Quod si hæc doctrina practicaretur, actum esset de obedientia, & laboriosissima esset vita Superioris, si semper teneretur ad assignandam rationem sive in iure, sivè in facto de eo, quod præcipit: tenetur quidem Subditus præcepta à Superiore non adimplere, si clarè sint contra ius naturale, Divinum, aut Ecclesiasticum: sed in dubijs semper debet præsumere bene de Superiore, quòd non iubeat nisi licita iusta, & honesta.*

129 Et quamvis Amenus eodem tit. 18. num. 20. teneat, nunquam indicendam alicui pœnam, nisi antè exprimatur culpa, hoc debet intelligi casu, quo Subditus inquirat à Prælato causam; minimè verò, si causam petat. Colligitur ex cap. 2. distinct. 36. §. *Ecce*, versic. *Hinc*, ibi: *Prælatus debet esse paratus reddere rationem omni poscenti*: hoc idem expressè insinuat idem Amenus, tit. 3. num. 94. ibi: *Dico, quòd Guardianus potest à tali suspensione appellare, si Provincialis rogatus ab illo non vult detegere causam suspensionis.*

130 Et tit. 18. num. 24. idem Amenus sic scribit: *Humiliter ergo, & ex solo animo se defendendi, non verò Superiorem contemnendi; dicat prout suprà habetur; & si Superior nolit causam dicere, neque Subditus tenetur irrationabiliter obedire.* Et eod. tit. 18. num. 23. ibi: *Unde si pœnitentiarius instet, vt Guardianus causam aperiat, & Guardianus firmus in proposito suo nolit manifestare, non tenetur Subditus obedire; quia irrationabiliter Guardianus præcipit.*

131 In his terminis asserit Peyrinis, subditum non teneri obedire Prælato præcipienti, vt carcerem petat, ea videlicet conditione, si Prælatus nolit, subdito postulanti, causam aperire. Sic tom. 1. de Subdito, quæst. 1. cap. 13. ibi: *Quòd si ita is detrusionis quærat subditus causam, vel quia levissima sit, vel quia nulla in rei veritate existat, &* (Prælatus) *recusset dicere, his suam malitiam tegens verbis: Carcerem petito, causam inde scies: quæritur modò, an subditus in hoc teneatur obedire?*

132 Cùm ergo Pr. Victoria nullam suæ obedientiæ postularet causam, nullum gravamen fuit illi illatum ex causa non assignata: quia licèt ex rigore Iustitiæ non esset tali præcepto absque designatione causæ adstrictus, vt vult Amenus, tit. 3. *Canones*, quæst. 3. num. 94. tamen potuit absque propositione causæ obedire præceptum; & bene fecit, humiliter obtemperando, vt idem Amenus citato tit. 3. num. 94. scribit, ibi: *Dico, quòd Subditus, si simpliciter obediret, bene faceret, maximè nos Minoritæ, qui debemus obedire in omnibus, quæ non sunt contra animam, & Regulam nostram. Sed de rigore Iustitiæ non tenetur obedire.*

133 Licèt enim P. Victoria haberet ius appellandi à data Obedientia, & ad petitionem causæ, illud cessit Obedientię, sine petitione causæ, admissione: Ideòque posteà ab illa appellare non poterat: quia ius suum cedens, vel renuncians, non habet ampliùs regressum ad illud, leg. *Quæritur*, §. *Si vendita*, ff. de *Ædilitio edicto*, leg. *Si maritus*, §. *Si negaverit*, ff. *de Adulterijs*. Decius, cons. 389. num. 10. Romanus, cons. 369. circa primum, num. 16.

Afflict. decis. 220. num. 19. Jason, cons. 133. in princip. lib. 4. Craveta, cons. 74. num. 4. & cons. 166. num. 6. & cons. 141. num. 3.

134 Ampliùs contra doctrinam Ameni, & Peyrinis in terminis ab illis propositis insurgit, & meritò, Bordonus, tom. 5. Praxis Criminal. cap. 66. sub num. 31. ibi: *Nec Peyrinis* (de *Subdito*, quæst. 1. cap. 13. versic. *Dico 1.*) *audiendus est, dum ait, quòd subditus non tenetur obedire Prælato præcipienti vt in carcerem se præbeat, non assignata causa talis carcerationis, quia in executione potestatis suæ non dependet à subdito, cui necessitas est ad obediendum. Et estò, ex sua benignitate responderet causam carcerationis, adhuc resisteret Reus, negando delictum, & esset talis responsio occasio dissensionis inter Superiorem, & subditum.*

135 Prosequitur Bordonus, ibi: *Ad quid reddere rationem carcerationis? Nunquid libentius intrabit? Nequaquam; sed cum Superiore contendet. Adde: demus casum, quòd Superior interrogatus super carceratione reddat rationem, & Reus acquiescat, ea audita, & ingrediatur carcerem: Nonne videtur suum fateri delictum? Videtur: nemo tamen reperitur, qui hoc prætextu ingrediatur.*

136 Deinde, quia Amenus solùm intendit, quòd ante reclusionem, datam in pœnã, debet Prælatus assignare causam. Sic expressè tit. 18. num. 21. ibi: *Patet ergo ex his, quòd ante reclusionem in domo disciplinæ, debet Provincialis dicere causam; nempè, crimen ob quod, talem pœnam iniungit.* Enim verò, cum delictum non sit sola causa reclusionis, vt habemus ex eodem Ameno citato, tit. 18. num. 10. ibi: *Dico, quòd causa reclusionis possunt esse duplices; puta, vel ad avertendum malum futurum, vel ad castigandum pro delicto præterito*: Hinc est, quòd secundùm doctrinam Ameni, solùm quandò datur reclusio in pœnam debet assignari à Prælato causa, (casu quo à Subdito petatur) minimè verò, si non in pœnam imponitur, sed tantùm ad malum futurum precavendum, quomodò data fuit P. Victoria Obedientia, ad impediendum, ne testes subornarentur, deterrerentur, aut iustitia obnubilaretur.

137 Ex quibus omnibus patet manifestè, Pm. Victoria ob huiusmodi Obedientiam, & ex non assignata causa illius, nullum subijsse gravamen, iam propter dicta; & etiam quia Rmus. P. Com. Generalis minùs, quàm quod iure poterat, exequutus fuit; & sic nullum considerari valet gravamen. Imò nec istud Pater Victoria intulisset, etiam si ad eius incarcerationem pro custodia processisset, eò quòd esset actus licitus, & ex iure procedens. Leg. *Iniuriarum actio*, §. *Quis inter*, ff. de *Iniurijs*. Romanus, cons. 387. in princip. Flaminius Parisius de *Resignat. Beneficior.* lib. 13. quæst. 1. num. 164. Farinacius in Praxi, quæst. 105. num. 130. Passerinus in Tribunal. Regul. quæst. 32. artic. vnico, num. 8. ibi: *Iudex verò gravat, dum contra ius in damnum partis iudicat.*

138 Et etiam, quia gravamen iuxta legem impositum, gravamen non est, vt tradit Baldus in Cap. *Ad nostram*, de appellationib. omnes enim legibus parere tenentur, §. *Arripiat, Authentica*; vt omnes obedire Iudicibus Provinciæ; & consequenter ab ijs, quæ iuxta legem facta sunt, non datur appellatio; vt notant Rebufus in Leg. *Si qua pœna*: in principio vers. *Namque harum*, de verborum significat. Marescotus *variar. resolut.* lib. 2. cap. 77. num. 9. 10. & 12. Gratian. tom. 2. cap. 232. à num. 17.

139 Et per consequens non fuit illi licita appellatio; non modò, quia Regularis Obedientia Patri Victoriæ imposita commorandi in Alonensi Conventu, etiam cum illa circunstantia non exeundi in alium locum extra prædictam Civitatem sine Rmi. Patris facultate, appellationem non admittit, eò quòd ad ordinariam correctionem pertineat, & Rma. sua Paternitas, tamquam Pater œconomicè eam imposuit: iuxta Constitutionem, cap. 7. §. 2. de *Correctione ordinaria*, versic. *Hinc præcipimus*; Cap. *Ad nostram*, de appellat. Concil. Trident. Sessione 22. cap. 1. de *Reformatione*. Lantusca, verbo *Appellatio*, num. 1.

140 Huiusmodi autem Obedientiam ad ordinariam correctionem pertinere, & contineri sub ista, disponit eadem Constitutio Generalis, ex cap. 7. citata §. 2. vers. *Declaramus*, ibi: *Declaramus insuper, præcepta Obedientiæ, mutationes ex vno ad alium Conventum, suspensiones Officiorum ad breve tempus, & similia, ad correctiones ordinarias, & salutares pertinere.*

141 Sed & quamquam Rmus. progressus fuisset ad incarcerationem Patris Victoriæ, adhuc non erat in hoc casu locus appellationi, vt tenet Julius Clarus, quæst. 46. §. *Sed quid*. Guidus Pap. decis. 235. Carena de *Offic. Sanctæ Inquisit.* part. 3. tit. 1. num. 3. de *Victis*, quæst.

79.num.14. Bordonus *in Praxi Criminal.* tom.5.cap.66.num.13. ibi: *Quæres 7. An detur appellatio à carceratione? Respondeo negativè; quia non datur appellatio à Iudicio vix cœpto.*

142 Distinguensquè Amenus incarcerationem datam ad pœnam, & carcerationem datam ad custodiam in Pract. Criminal. tit.19. *Reus*, §.9.quæst.1. num.74. sic ait: *Tamen contrarium est verius de consuetudine, vt dicunt DD. & ita practicatur in omnibus Curijs; & hoc quidem rationabilè est: si enim carcerandus appellans deberet relaxari, frustrà essent carceres, qui principalitèr ad Reorum custodiam conditi sunt, & infiniti rei evaderent impuniti; patrato enim delicto, maximè si est ex atrocibus, fugam arriperent, & Iudicium eluderent: nec Iudex, qui delinquentem carcerari iubet dicitur aliquid innovare contra eum, sed potiùs videtur assecurare Ius publicum, quòd habetur contra eum.*

143 Ex dictis etiam deducitur, Patrem Victoria nec ob obedientiam, quæ re ipsa ei imposita fuit, nec ob reclusionem, quę pro parte prædicti Patris simulatur, nec adhuc ob illius capturam, & incarcerationem (casu, quo P. Reverendissimus eam executioni mandari iussisset) gravamen aliquod reportasse: sicquè, isto deficiente, appellare non potuisset, minusquè personalitèr recurrere: actuale enim gravamen causa est appellationis; eo verò cessante, illa nec dari potest, nec permitti, cap. *Vt debitus* 59. cap. *Cum cessante*, de appellat. Philippus Francus in cap. *Si duobus* 7. num. 1. de appellat. Abbas in cap. *Interposita*, num. 76. notabili vltimo sub num.3. de appellat. & Canonistæ communitèr in d. cap. *Vt debitus honor*, per text. etiam in cap. *Omnis oppressus* 2. quæst.6. Innocentius in cap. *Brevi*, de iurisdict. Tolosanus de appellat. lib.5. cap.1. num.1. Gratian. cap. 170. num. 11. Scacia de appellat. quæst.5. art. 2. num. 107.

144 Quòd adeo verum est, vt sine actuali gravamine appellationi non detur locus, nec recursus, licèt simuletur timor futuri gravaminis; quia cum gravamen actuale non detur, & gravamen futurum sit conditionale, pro iniusta reputatur appellatio à gravamine inferendo: Philippus Francus in d.cap. *Vt debitus honor*, quæst. 2. sub num. 9. & in cap. *Dilecto*, notabil. 3. sub num. 1. de appellat. Scacia de appellat. quæst. 5. art. 2. sub num. 103. Salgado de protectione Regia, part. 2. cap. 2. num. 16. & 17.

145 Amenus tit. 3. *Canones circa recursum*, §. 14. num. 76. ibi: *Non enim est verum, quòd vbi adsit suspicio gravaminis, aut in quacumque parte causæ, licet reo appellare; gravamen enim illatum, est causa immediata appellationis, & in tantum quis potest appellare à gravamine futuro, in quantum iam illatum est aliud gravamen, quod in appellatione debet exprimi, ad hoc, vt valeat appellatio à futuro; aliàs non tenet: sequitur ergò, quòd à Iudice nullo modo licet appellare, nisi actu gravaverit.*

146 Tandem non erat locus appellationi; quia non modò, non dabatur gravamen; sed etiam quia prædictus Pater Victoria Obedientiam admisit, vt patet ex illius verbis, cum ei obedientia nota facta fuit, relatis num.45. ibi: *Solùm asserit, se promptum esse ad obediendum*; cum enim Obedientiam acceptaverit, iam non potuit appellare; siquidem per acceptationem iuri suo renunciavit, cap. *Dilectæ nobis*, de appellat. Ruginelus de appellat. cap.3. §.2. num.177. Scacia de appellat. quæst.12. num.147. & seqq. Sanctorus de pœnis, cap.26. pag.340. vbi ad quæstionem: *Quæ sint frivolæ appellationes?* vers. 4. respondet: *Quartò; à sententia iam acceptata, quia iam suo Iuri renunciavit.*

147 Et quamvis P. Victoria, postquàm Obedientiam acceptavit, continuaverit, dicens (provt num.45. habetur) *quòd si hæc ad privationem tendebant, sibi reservabat Iura, quibus ad nostrum Rmum. P. Ministrum Generalem, aut Tribunal, quod ei expedierit, appellare posset*; non indè inferri potest gravamen, nec recursus, & appellatio iustificari, sed potiùs oppositum.

148 Ratio est; quia dicere P. Victoria: *Paratus sum obedire; sed casu, quo dicta obedientia tendat ad privationem, reservo mihi iura ad appellandum*; nihil aliud fuit, nisi affirmare, & confirmare secundò acceptationem Obedientiæ intimatæ, si privationem non saperet; *exceptio enim firmat regulam in contrario.* L. *Quæsitum*, §. *Denique*, ff. *de fundo instructo.* Dominus Iosephus Vela dissert. 2. num.40. Baldus cons.131. casus est talis, vers. *Super secundò*, lib. 1. Barbosa in axiomatib. axiomate 85. num.4. ibi: *Conductor excipiens nolit teneri in vno casu for-*

tuitu,

tuitu, videtur enim se obligare ad alios casus fortuitos sub eodem exceptuatos.

149 Cùm autem in casu exceptuato à P. Victoria nulla appellatio, nec recursus liceret; quia Rmus. P. Commissarius Generalis in scriptis declaravit, Obedientiam datam nullam continere privationem, vt authenticè constat ex ipsius declaratione die 2. Novembris *1696.* vt apparet ex num.46. cùm Rmus. præcepisset Rdo. P. Provinciali, vt omnia Difinitorialia Comitia, quæ, durante supradicto præcepto, celebranda essent in præfato Alonensi Convetu haberentur, vt ita P. Victoria, cum assistentia haberet votum, vt immediatus Ex-Provincialis, & cognosceret sic, obedientiam sibi datam, neque privationem, neque adhuc suspensionem includere.

150 Consequenter ad hæc, nullum passus fuit gravamen, nec aliquam querelam dare potuit propter obedientiam datam, quam expresè acceptavit, neque propter privationem, quam timuit; hanc enim Rmus. Commissarius nunquam voluit; immò contrarium expresit, & authenticè declaravit; quæ declaratio sufficiens erat, vt privatio revocaretur, licèt includeretur in Obedientia. Lancelotus Robertus *de attentatis*, part.2.cap.12.limitat.3. à num. 13. Scacia *de appellat.* quæst. 19. regul.1. conclus.6. num.11. & 63. Rota decis.12. aliàs 362. *Si auditor, de probationibus*, in novis.

151 Neque id, quod in notificatione relata num.40. dicitur: *Quòd Patri Victoria, quia dolore capitis oppressus, nihil sibi impræsentiarum occurrebat, solum asserens, se ad obediendum esse paratum*, tollit voluntariam acceptationem Obedientiæ; quia, si expeditus erat ad reservanda appellationis iura, casu quo illa Obedientia ad privationem tenderet, vt eodem num.45. habetur, quod nec expresè, nec implicitè in data obedientia includebatur, quæ iura appellandi absque timore aliquo reservavit; consequens est, vt tanto magis adverteret ad consensum Obedientiæ præstitum, iuxta ea quæ in illa exprimebantur, absque eo quòd propter timorem, aut coactionem consentiret.

152 Demum, consensus nihil aliud est, nisi voluntas approbans; vt ex Gonçalez docet Bordonus tom.5. cap.16. *de Professione Regul.* num.38. pag.409: at voluntas Patris Victoriæ approbavit Obedientiam, dicens: *Se promptum esse ad obediendum*: consensit ergò in illam. Neque erit ad rem, dicere, quòd illa fuit voluntas coacta, & per consequens consensus etiam fuit coactus.

153 Optimè quidèm (licèt hoc falsum sit, cum nulla coactio inveniatur) demus, quòd voluntas fuisset coacta; nonnè voluntas coacta verè est voluntas? ergò & consensus coactus verè erit consensus? Sic arguit Bordonus loco cit. *Voluntas coacta adhuc voluntas est, ac proindè verus consensus*: Confirmatque rationem; quia contractus metu gravi initus valet ex valore præstiti consensus; ex communiori sententia, quam tenet Sanchez lib.4. disput. 8. à num.4. quod procedit non solùm de levi metu, sed etiam de gravi, & cadente in constantem virum, qualis est metus incussus à Superiori. Peyrinis *de Prælat.* quæst.3.cap.1.num. 80. Suarez tom.3. *de Religion.* lib.6. num.19. Palaus disput.2.part.2.§.2.n.2.

154 Rem exemplo confirmat Bordonus tom.5. cit. d.cap.16. sub num.38. vbi quærit, *an consensus Fratrum coactus per Superiorem producat veram professionem?* & respondet affirmativè; illiusque ratio est, *quia consensus coactus per superiorem, valet.*

155 Permansit igitur P. Victoria in Alonensi Conventu, & quoties egredi voluit Civitatem, toties fuit egressus, absque eo, quòd à P. Guardiano illius Conventus aliquando impediretur. Die 26. Novemb. accepta pariter licentia eundi ad Cœnobium Carmelitarum dictæ Civitatis, à Conventu egressus fuit, sed non est adhuc reversus, quia arripuit iter Valentiæ, prætextu adeundi Matritum ad Illustrissimum, & Reverendissimum D. Nuncium.

156 Certus factus P. Guardianus Alonensis de absentia, & fuga P. Victoriæ contra expressum mandatum Rmi. P. Comm. Generalis, & ab illo acceptatum, in Communitate Patrem Victoria Apostatam declaravit, & publicavit excommunicatum, iuxta præscriptum Constitutionum Generalium, ex Barchinonensibus, cap.7. & ex compilatis, cap.7. de *Correct. delinquent.* §.15. pag. 229. vers. *Intelligimus*, & vers. *Ordinamus*. Concilium Trident. sess.25. *de Regularib.* cap.4.

157 In

157 In hac declaratione, & excommunicationis publicatione processit P. Guardianus non solùm iuxta formam Statutorum Generalium, sed etiam secundùm vsum, & practicam Religionis, iuxta quam non est citandus Apostata, vel fugitivus ad illum publicandū excommunicatum; vt optimè notat Sanctorus, de pœnis, pag. 29. versic. *Advertendum tertiò*, ibi: *Non est citandus Apostata ad audiendum, se excommunicatum declarari; quia iam notorium est, eum nihil in sui defensionem allegare posse.* Et post pauca: *Cautiùs est citarè absentem in alijs delictis ab Apostasia, in qua vsus obtinuit, vt, constito, quòd aufugerit, in prima refectione pronuncietur excommunicatus.*

158 Amenus, tit. vltimo, num. 62. ibi: *Quòd si ex consuetudine Apostatæ in Religione declarantur tales, nulla premissa citatione, hoc ideò est, quia sunt fugitivi, & nescitur, vbi sunt; nec expedit eos citare ad modum absentium, quia nimis protelaretur in expectando termino.*

159 Iustissimè ergo P. Guardianus Alonensis Patrem Victoria, vti fugitivum, declaravit excommunicatum, absque illius citatione, quia quamvis Amenus requirat citationem Apostatæ, ad hoc vt valida sit excommunicatio, hoc limitat tantum ad casum, quando revertitur Apostata ante excommunicationem contra ipsum latam; sic enim ait Amenus citatus tit. vltimo, num. 62. ibi: *Hinc sequitur, quòd, si aliquis Apostasiam commisisset, & antequàm declararetur excommunicatus à Superiori, vt solet, reverteretur in Conventum, non posset Superior vllo modo illum declarare Apostatam, nisi priùs eum citaret, ad dicendum, quare declarari non debeat Apostata, & excommunicatus.*

160 Fugitivus igitur Pater Victoria Valentiam appulit, & in Domo Magni Castellani de Amposta refugium, & patrocinium quæsivit. Ibi visitatus fuit à permultis Regularibus, & Sæcularibus, à quibus petijt favorem, vt à Rmo. & Illmo. Dno. Hispaniarum Nuncio eundi Romam licentiam impetraret, vt ibi, per viam recursus, ante Rmum. Pm. Ministrum Generalem se sisteret; sed dictam licentiam Illustrissimus Ds. Nuncius benè instructus, & optimè informatus denegavit, & loco illius, ad instantiam Ps. Commissarij Curiæ Regalis, præcepit expedire Litteras, datas decimo die Ianuarij 1697. in quibus strictissimè præcipiebat sub pœna excommunicationis maioris omnibus cuiuscumque status, & conditionis personis; vt Pater Victoria à Domo in qua latitabat expelleretur; scientibusque latibulum illius sub eadem pœna præcipiebatur, vt manifestarent dictum Patrem Victoria; & quod dictæ litteræ in convenientibus locis publicè in Ecclesijs legerentur, & publicarentur.

161 Non fuerunt publicatæ Valentiæ, vbi certò constabat refugiatum esse Patrem Victoria, nec alicui personæ (iustis de causis) notæ factę fuerunt. Sed solùm omnibus modis, medijsq; possibilibus virtuosæ, & Religiosæ personæ tentaverunt Patrem Victoria ad bonam frugem reducere; quæ media sua auctoritate, pietate, & zelo erga Rm. P. C. Generalem, obtinuerunt à sua Paternitate Rma. se fugitivum P. Victoria, vt benignissimum Patrem, suscepturum, si ad Conventum Alonensem reverteretur.

162 Illis monitis, & his promissionibus ad se Pater Victoria reversus, decrevit copiam sui in Conventu Valentino Coronæ facere. Ibi absolutionem à sua Apostasia petijt, & à P. Guardiano illius Conventus coram duobus testibus absolutionem excommunicationis obtinuit, vt constat ex num. 66. firmiterque promisit revertere ad Conventum Alonensem: huius causa accepit a P. Provinciali Socium, iter arripuit, Alonam pervenit, & mutata voluntate, sine nova causa & motivo, navigium ascendit cum alio Socio, Romam versus iturus.

163 Hæc absolutio excommunicationis acceptata à Patre Victoria, clarè, & expressè convincit illum consentiendo in illam, se vt Apostatam excommunicatum sentire, facto enim ipso hoc declaravit; consensus enim, non minùs facto, quàm verbo declaratur L. *Paulus*. L. *Non tantùm*, ff. *Rem ratam haberi*. L. *De quibus*. Circa fin. *de Legib.* Romanus, cons. 291. *Cum isti fratres*, n. 3. vers. 3. *Quia*. Parisius, cōl. 33. n. 30. volum. 1. Cravet. cons. 106. à princip. n. 2.

164 Immò plus est aliquid facto ratificare, quàm verbo, *Capite, Dilecto filii, de Appellat.* Decius, cons. 449. num. 12. Romanus, dict. cons. 291. num. 4. vers. *Quinimò.* Et ratio est, quia ratificatio, quæ fit facto, dicitur magis efficax illa, quæ fit verbo. *Vnde in his, quæ tendunt ad declarationem animi, plus est facto, quàm verbo declarare.* L. *Si tamen*, §. *Si aliqui*, ff. *de Ædilitio*

litio edicto. Abbas, conſ. 116. *Illud de jure,* num. 3. lib. 2. Jaſon, conſ. 153. *Difficultas,* column. 2. verſ. *Confirmantur prædicta,* lib. 2. *Verba enim quandoque ſunt falſa, facta verò nunquam;* vt inquit Baldus in dictam L. *Paulus,* ff. *Rem ratam haberi.*

165 Pater Victoria acceptando in facto excommunicationis abſolutionem voluntariè, & ſine proteſtatione aliqua, ipſomet facto ſe Apoſtatam declaravit; & ideò hoc factum impugnare non potuit; factum enim proprium nemo impugnare poteſt. L. *Poſt mortem,* ff. *de adoptione.* L. *Per fundum,* ff. *de Servitute.* L. *Sicut.* C. *de Actionibus, & Obligationib.* Thomaſetus in Florib. Leg. Regul. 26. Barboſa Axiomate 93. ſub num. 23.

166 Hæc libera acceptatio abſolutionis propter Apoſtaſiam, vel fugam à Conventu Alonenſi, expreſsè eſt contrarius actus proteſtationi factæ à P. Victoria coram Priore Carmelitano Alonenſi, & per conſequens revocat ipſam proteſtationem factam; proteſtatio enim tollitur, & ceſſat per actum ſubſequentem contrarium ipſi proteſtationi. Cephalus, conſ. 222. num. 14. verſ. *Tertiò permitto,* lib. 2. Craveta, conſ. 463. num. 18. & conſ. 605. num. 5. Menoch. conſ. 375. num. 28. eò, vel maximè cum tota acceptatio abſolutionis omnimodè penderet à ſola Patris Victoriæ voluntate. Bartholus in L. *Qui aliena,* §. *Celſus,* ff. *de Acquirend. hæred.* Barboſa *in Axiomatib.* Axiom. 144. num. 4. & 5.

167 In omnibus his vſque adhuc narratis operationibus, nullus, quamvis malignus, animus poteſt neque in jota, aut in apice, notare facta Rmi. Ps. Com. Generalis: declaratio enim Apoſtaſiæ Ps. Victoriæ facta à P. Guardiano Alonenſi fuit iuſta, & poſt furtivum à Cóventu P. Victoriæ diſceſſum, & in executione Conſtitutionis 64. cap. 2. ibi: *Præcipimus Superioribus localibus, vt in refectione immediatè ſequenti, & ſingulis ſextis ferijs primi menſis tales Apoſtatas excommunicatos denuncient.* In qua publicatione, & denunciatione nullum influxum habuit Rmus P. Com. Generalis, nec habere potuit: nam Pater Guardianus Alonenſis, ex vi memorati Statuti, ſpectare non poterat illius conſenſum.

168 Nec prætenſa declaratio animi Patris Victoria, manifeſtata poſteà, P. Guardiano impedire poterat dictam Apoſtatæ publicationem, & excommunicationis denunciationem: quia quamvis vulgaris ſit doctrina DD. Religioſum nimis, aut ſupra modum, iniuſtèque gravatum, poſſe recurrere, egrediendo ſine licentia, ad ſuum Superiorem, ſine Apoſtaſiæ metu, quia nec Concilium Tridentinum Seſſion. 25. *de Regular.* nec Conſtitutiones Sixti V. nec Statuta Ordinis locum habent, quando Religioſus iniuſtè, & ſupra modum gravatus ad Superiorem ſine licentia recurrit: Rodriguez tom. 1. *Quæſtion. Regular.* quæſt. 30. artic. 3. Antonius Ricciolus *de Iure perſonar.* lib. 8. à num. 24. Peyrinis, tom. 1. *de Subdito,* quæſt. 6. num. 127. Bordonus, reſolut. 41. quæſt. 8. num. 14. Merola, tom. 2. *de Legib.* diſput. 4. dubio 1.

169 Hæc tamen DD. ſententia, ſi vera in caſu noſtro eſſet, ſolùm in foro animæ locum haberet, minimè verò in exteriori foro; cùm Eccleſia non iudicet de occultis; & ſolùm Religioſum contra obedientiam fugientem inſpiciat. Miranda in Director. quæſt. 51. artic. 1. concluſ. 1. in fine, ibi: *Sed quamvis hæc ſententia ſit vera, loquendo de Apoſtaſia propriè, & in rigore, & excommunicationi incurſa, aut non incurſa forſan in foro interiori, & conſcientiæ; ſecus tamen eſt, loquendo de foro exteriori, & Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis.*

170 Donatus, tract. 7. tom. 1. quæſt. 12. num. 3. ibi: *Et hoc, ideò, quia Eccleſia non iudicat de occultis, ſed ea examinat, quæ foris videt, an Sacris Conſtitutionibus ſit conformia, & , iuxta illas, tranſgreſſores punit.*

171 Portel, *In dubijs,* verbo *Apoſtata,* in Additione, num. 6. ibi: *Quæres, an ſit puniendus Religioſus, qui gravatus iniuſtè à ſuo Prælato inferiori, recurrit ad ſuum Superiorem, & hac ſola de cauſa exit à Conventu? Rodriguez ſecutus Navarrum tenet, non eſſe Apoſtatam, neque contrarium dici à Tridentino, Seſſ. 25. de Regularib. cap. 4. E contrario cùm ego eſſem Provincialis, accepi litteras à noſtro tunc Generali Rmo. Soſa, quibus atteſtabatur, Cardinales Romæ deputatos pro dubijs Tridentini declaraſſe, illum Religioſum, qui fugit ab inferiori Prælato ad Superiorem, eſſe Apoſtatam.*

172 Quod omne confirmatur, quia Prælatus declarans Apoſtatam, poteſt potiùs præſumere fugam, quàm defenſionis cauſam. Navarrus, conſ. 2. de *Sententia, & re iudicata,* num. 8. & conſ. 5. *de Appellat.* num. 8. Rodriguez, *Quæſt. Regular.* tom. 1. quæſt. 29. artic. 2.

Say-

Sayrus *in Clavi Regia*, lib. 12. cap. 17. num. 38. Sanchez *in Decalog.* lib. 6. cap. 8. num. 110. Bordonus, tom. 5. in *Praxi Crimin.* cap. 90. num. 32. ibi: *Potest enim iudex à quo præsumere potius fugam, quàm defensionem quærere.* Demum, quia adhuc asserentes, licitam esse fugam Religioso gravato, *petunt pro essentiali requisito, quòd gravamen, quo prematur, sit magnum, notabile, & iniustum; non verò licet fugere sine licentia, si licèt gravetur; gravamen verò modicum est, & leve; aut si grave sit, iustum est.* Navarrus in Commentario 4. *de Regularib.* casu 3. num. 51. in prima editione. Bannes 2. 2. quæst. 12. artic. 1. in disputatione de Apostatis post conclus. 6. Rodriguez, quæst. Regular. tom. 1. quæst. 30. artic. 2. Portel, verbo *Apostata*; num. 3. ibi: *Fugiens ad Prælatum Superiorem, quia inferior Prælatus vult illum gravare notabiliter iniustè, non est Apostata; erit tamen Apostata, sine fundamento fugiens ad Superiorem, & sine causa in foro externo.*

173 Donatus, tom. 1. tract. 7. quæst. 3. num. 6. in fine, ibi: *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sivè dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam, sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina causati, &c. Placuit Sacræ Congregationi Regularium ex ordine Sanctissimi statuere, vt si quis Regularium temerè, levivè ex causa hanc Vrbem Romã, sivè Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad eosdem Superiores sæviori pœna plectendos remittantur.*

174 Amenus, tit. 3. *Canones circa recursum*, §. 10. num. 54. ibi: *Optimè autem advertit Sanctorus, quòd ad hoc, quòd Subditus possit sic sine Obedientia in scriptis Superiorem adire, oportet, quòd gravamen, quo premitur, sit notabile, & causa non levis.*

175 Et comprobatur, quòd recursus Patris Victoriæ fuit Apostaticus; quia dictus Pater non spectavit sententiam, & omnia, quæ finxit gravamina (dato, quòd essent) erant reparabilia per diffinitivam: in quo casu gravamina allegata, licet sint vera, ab apostasia nõ liberant; Fagnanus enim ad Cap. *Per tuas* de sent. excommunic. num. 26. docet; non posse appellari verbo, aut facto ante sententiam, neque à gravaminibus quibuscumque, neque à comminationibus; & ratio est: quia postea poterit appellare à diffinitiva, & appellatio operabitur vtrumque effectum: quando autem gravamen, vel comminatio potest reparari per diffinitivam, appellatio, vel verbo, vel facto ante ipsam, nulla est.

176 Amenus, tit. 3. *Canones circa recursum*, §. 3. num. 26. ibi: *Dico, quòd appellare à sententia interlocutoria, vel à quocumque alio gravamine ante sententiam diffinitivam in foro Ecclesiastico vetitum est; hoc autem intelligendum est de gravamine, quod in diffinitiva reparari posset, vt post decretum Concilij Trident. relatum à Barbosa, tenent plures DD.*

177 Laurentius Pyrinis *de Subdit.* tom. 1. quæst. 20. §. *Advertendum*, idem docet, & citat pro sua sententia nostra Statuta Vallis-Oletana, & Spatharium nostrum; confirmans assertum ex quadam Bulla Pij V. quæ incipit: *De salute gregis*; & ex Concil. Trident. Sess. 13. cap. 4. & §. *Ad primum.* Concludit Peyrinis: *Si non expectata sententia, fugit ad Superiorem, Apostasiæ pœnam luet; quia temerè, leviterquè fugisse iudicatur, & iure ad Superiorem processantem remittetur, quia aliter vagandi non tolleretur occasio.* Et hoc non alia ratione, nisi quia appellatio à gravaminibus reparabilibus per diffinitivam, nulla est. Bordonus, tom. 5. *Praxi Crimin.* cap. 89. num. 102.

178 Et expresè habetur in Trident. Sesion. 24. cap. 20. ibi: *Neque appellationes ab eisdem interpositæ, per Superiores quoscumque recipiantur, eorumvè commissio, aut inhibitio fiat, nisi à diffinitiva, vel à diffinitivæ vim habente, & cuius gravamen per appellationem à diffinitiva reparari nequeat.*

179 Decretum carcerationis ad custodiam, secundùm Sanctorum, non infert damnum irreparabile; ideòque à tali decreto non datur appellatio. Sanctorus *de pœnis*, cap. 4. vers. *Respondeo*, pag. 176. ibi: *Non enim per hanc carcerationem infertur damnum irreparabile; quia ad illam nulla sequitur, vel infamia, vel pœna, & solum datur ad tuendum ius publicum.* Si enim decretum carcerationis ad custodiam non infert damnum irreparabile; quomodo inferretur per Obedientiam datam Patri Victoria, licèt æstimetur reclusio? Igitur, si à decreto carcerationis ad custodiam non datur appellatio; quia non infert damnum irreparabile, neque licita erit propter eandem rationem à decreto reclusionis, multòque minùs ab Obedientia Patri Victoria data.

180 In ſpecie noſtri caſus probatum manet : Pm. Victoria, non ſolùm non fuiſſe gravatum gravaminibus adhuc reparabilibus; ſed nullomodo gravatum. Rmus enim Pater Commiſſarius Generalis non ſolùm non extendit operationem extra limites iuriſdictionis, & iuſtitiæ; ſed neque id, quod intra terminos iuſtitiæ facere potuit, fecit: nam, cùm poſſet iuſtiſsimè Patrem Victoria ad cuſtodiam carcerare, non carceravit, ſola detentione in Conventu Alonenſi contentus, cum limitatione alibi extra Civitatem, & limites Conventus non eundi.

181 A qua Obedientia appellare non potuit: primò, quia præceptum obedientiæ appellabile non eſt, vt omnes ſciunt: Secundò, quia Obedientiam acceptavit, vt conſtat ex num. 45. per quam acceptationem, iuri appellationis renunciavit, caſu quo poſſet appellare, vt probatum habemus à num. 146. vſque ad num. 149. Tertiò, quia non erat gravamen irreparabile per diffinitivam: Quartò, quia licèt tale decretum includeret recluſionem, aut carcerationem ad cuſtodiam, nullo modo gravabat, cum cauſa eſſet ſufficiens, & probationes ſufficientiſsimæ: non ergo potuit à Conventu egredi prætextu appellationis facto cùm eadem cauſa ad illam, quàm ad appellationem verbo, aut ſcripto requiratur.

182 Donatus, tom. 1. tract. 7. quæſt. 13. num. 1. ibi: *Etenim adire Superiorem ob iniuſtum gravamen habet vim appellationis, ſeu eſt appellatio expreſſa facto, appellare enim verbo, vel facto equipol'ent.*

183 Solùmquè licet Monaſterio egredi ſine licentia in ſcriptis ſub prætextu recurſus, quando gravamen eſt grave, & iniuſtum, & appellatio licita, & non ſuppetit occaſio appellandi. Sic cum alijs tenet Fr. Antonius à Spiritu Sancto in Direct. tractat. 3. diſputat. 6. ſect. 5. num. 792. ibi: *Dico quintò: in caſibus, in quibus eſt licitum Religioſis appellare, ob gravamen manifeſtum: ſi occaſio non ſuppetat appellandi, poſſunt Regulares ad Superiorem maiorem; nulla petita licentia ab inferiori, iter arripere.*

184 Et adhuc ſic recurrere perſonaliter ad Superiorem ſine licentia, non obſtantibus doctrinis DD. eſt res plena periculi, adhuc dato, quòd gravamen ſit grave, & recurſus legitimus. Amenus, tit. 3. quæſt. 1. num. 78. poſt medium, ibi: *Recurrere perſonaliter ad Superiorem, ſub prætextu gravaminis, ſine requiſita licentia prohibetur à Tridentino, & licèt multi DD. relati à Barboſa doceant, nullam adeſſe prohibitionem, quando gravis, & vera ſubeſt cauſa recurſus, vt aliàs diximus; tamen eſt res plena periculi, attenta maximè praxi introducta de mandato Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium; quòd Religioſi Romam petentes, abſque licentia, ſeu Obedientia, etiam pro recurſu legitimo, non audiantur, niſi in carceribus.*

185 Videant nunc PP. Conſultores, quomodò iuſtificare poterunt recurſum perſonalem Pat. Victorię; cùm non fuerit verè gravatus, vel ſaltèm graviter, & iniuſtè gravatus: quia pro certo habemus, Patri Victoriæ nunquam licuiſſe egredi ex Conventu Alonenſi ſub prætextu recurſus ad Superiores, cùm nullum pateretur gravamen, & ſecundùm iura, à gravamine ſuppoſito ficto, & ſimulato per ipſum, appellatio non erat licita, & per conſequens neque perſonalis recurſus, & furtivus à Conventu ſub tali prætextu egreſſus.

186 Minùs potuit fugere à Conventu, licèt obedientia recluſionem affirmet: quia quamvis vadens ad Principem, vt levamen à gravamine accipiat, non dicatur fugitivus, loquendo regulariter ad Text. in L. *Qui ſit fugitivus.* 17. ff. de *Ædilitio edicto.* Farinacius de *Carcerib.* quęſt. 30. num. 172. Carena de *Officio Sanct. Inquiſit.* part. 2. tit. 17. n. 75. Giuba conſ. 65. num. 4. Vermigiolus, conſ. 325. num. 4. Conciolus, reſolut. 3. n. 1. verbo *Fugi*

187 Recipit tamen hæc doctrina limitationem, quando qui egreditur à domo, Palatio, Conventu, vel carcere, vbi erat detentus, fugit ſine cauſa gravi, & iuſta; & ſi cum iuſta cauſa fugiat, cauſa tamen levis eſt, quia tunc, adhuc ſub prætextu ad Principem recurrendi, vel Superiorem adeundi, non ſolùm inter Regulares, ſed etiam inter Sæculares puniri debet, propter auſum, & temerarium recurſum. Botius in Practic. tit. *de carcerato, fideiuſsionibus relaxato*, à num. 46. Farinac. *de carcerib.* quæſt. 30. num. 174. & ſeqq. Conciolus, dict. reſolut. 3. num. 3. ibi: *Secùs tamen eſt, ſi aut fugiat ſine cauſa, vel cum cauſa iniuſta; quia tunc licèt recurrendo ad Superiorem, fugiſſe non dicatur, puniri tamen debet aliqua pœna mitiori Iudicis arbitrio, pro temeritate commiſſa in decedendo ſine licentia Iudicis.*

188 Inter

188 Inter Regulares, quando Religiosus iustè à suo Prælato est carceratus, vel in aliquo Conventu detentus; nec ante nec post sententiam potest absque nota Apostasiæ à carcere, vel Conventu fugere. Sanctorus *de pœnis*, cap.9.pag.386. ibi: *Si iustè detineretur, torqueretur, & puniretur, fugere non potest sine Apostasiæ nota.*

189 Frater Antonius a Spiritu Sancto in Director. tractat. 4. disputat.3. sectio 8. num.227. loquendo de Religiosis carceratis, vel in aliquo Conventu detentis, sic loquitur, ibi: *Dico nonò: Religiosus iustè in carcerem reclusus, vel in alio Conventu retentus à suo Prælato, nec anteà, nec post sententiam potest licitè fugere absque nota Apostasiæ.*

190 Bordonus, tom.5. *in Praxi Criminal.* cap.54. *de Fuga Reor.* num.19. ibi: *Religiosus reus non potest fugere, neque ante carcerationem, nec carceratus iustè, nisi sibi timeret pœnam mortis, aut mutilationis.* Et post pauca: *Nam Monasterium in quo continuò manent, appellatur eorum carcer.* Cap. *Vt famæ*, 35. *de sentent. excommunication. Ergò fugere non possunt, sed debent manere in claust. o.*

191 Amenus *in Praxi Criminal.* tit.5. *Pœnæ generat.* quæst.19. num. 102. ibi: *Si verò iustè carceratus est, & fugit, pœna Apostatarum est puniendus; nam hic non habet iustum titulum se defendendi contra Iudicem, qui procedit ex iustitia, & proindè nec appellandi.*

192 Licet ergo Obedientia P. Victoriæ data consideretur sub formalitate detentionis, aut reclusionis in Conventu Alonæ; adhuc non illi erat permissum, nec licitum fugere sine Apostasiæ specie, etiam sub prætextu eundi ad Superiorem, cùm probatum maneat à num. 100. vsque ad num. 109. Rmum. P. Comm. Generalem non solùm potuisse iustè illum detinere, & recludere, sed etiam carcerare ad custodiam; & hæc detentio nihil gravaminis Patri Victoriæ afferebat; poterat enim perambulare Alonam, cùm vellet; & ad excludendam Sæcularium notam nihil ampliùs desiderare poterat, si ipsemet suo facto, & fuga, non publicasset detentionis causam.

193 Etiam in Apostasiam lapsus fuit P. Victoria, quia cùm fugisset à Conventu sub prætextu se præsentandi ad Illustrissimum, & Rmum. D. Nuncium, rectum iter, quod ex Alona ducit Matritum, non arripuit; sed deviando plusquam viginti leucas Valentiam pervenit, & coram Illustrissimo Nuncio non comparuit, ad quòd è Conventu egressus fuit; sic enim dicitur in facto consulti: *Discessit à Conventu Alonæ iturus ad Illustrissimum, & Rmum. Nuncium Apostolicum Matriti commorantem.* Audiantur nunc verba Bordoni, dict. tom.5. loco iam citato: *Fuga autem carcerati, vt non sit peccaminosa, debet cohonestari per comparitionem coram Superiore.*

194 Si ergo recursus in vero, iusto, & gravi gravamine fundatus non liberat recurrentem à nota Apostasiæ, nisi casu, quo recta via coram Superiore compareat; Cavallus *in resolutionib. Criminalib.* casu 42. num.4. in fine. Guacinus *de defens. reor.* defension. 5. cap.4. sub num. 13. Giurba, cons.60. sub num.6. Carena, *de Offic. Sanct. Inquisit.* part. 2. tit. 17. num. 77. Conciolus verbo *Fuga*, resolut. 3. num. 4. ibi: *Declarat secundum dictam ampliationem, vt habeat locum, quando fugiens ex carcere, Palatio, seu domo, recta via Principem, & Superiorem adit; secus autem si faciat ex intervallo ad extraneos divertens actus.*

195 Vnde dato, & non concesso, quòd fuga P. Victoriæ esset illi licita, esset Apostata censendus, cùm non recta via, nec statim, sed nunquam, coram Illustrissimo D. Nuncio comparuit: remaneret igitur, adhuc iustificato motivo à Conventu recedendi, discutiendum dubium, vtrùm, hoc non obstante, esset Apostata censendus, quia recta via coram Superiore non comparuit; & etiam quia Valentiam in domum Magni Castellani de Amposta confugit, quasi ad tutum asylum, & ibi per quinquaginta quatuor dies, contra obedientiam, permansit.

199 In qua quæstione resolvi debet; quòd absque dubio esset censendus Apostata, ob duo motiva, & rationes: Prima, quia non recta via Superiorem quæsivit: Secunda, propter tam longam detentionem, nempe quinquaginta quatuor dierum, in domo Magni Castellani de Amposta.

197 Prima ratio suadetur; quia accedere recta via ad Principem, vel Superiorem non potest intelligi cum diversione tam notabili, vt P. Victoria fecit. Estò enim, arbitrio Iudicis relinquatur iudicare, quando aliquis dicatur adire Principem pro recursu recta via,

vt docent Franciscus Aviles in Comment. ad Caput *Prætores*, cap. 18. in Gloss. Cancellar. num. 50. vers. *Sed ego teneo.* Carena *de Offic. Sanct. Inquisit.* part. 2. tit. 16. num. 77. Conciolus verbo *Fuga*, resolut. 3. num. 5.

198 Hoc tamen minimè obstante, innegabile est, diversionem à recto itinere, quam P. Victoria fecit, notabilem esse, quia ad hoc sufficit excessus saltèm in tertia itineris parte: & cùm ex Alona, eundo recta via, ad Matritum sint sexaginta leucæ Hispanæ, & declinando Valentiam per locum (vulgò *Moxente*) quo ivit P. Victoria, vt per Valentiam Matritum pergeret, numerentur plusquam octogintæ leucæ Hispanicæ: estque ad minùs excessus tertiæ partis: præcisè talis excessus debet reputari considerabilis, iuxta doctrinam Sanctori *de pœnis Apostatar.* cap. 9. qui sermonem instituens de Fratribus, cum licentia, vel Obedientia itinerantibus, ad vers. *Respondeo*, fol. 391. hæc habet verba:

199 *Quantum autem itineris faciat diversionem notabilem inducentem Apostasiam, prudentum iudicio relinquitur, qui considerare debent, non diversionem absolutè, sed relatam itineri: quia si in itinere viginti milliariorum divertat duo, vel tria, parum reputabitur: si in itinere centum milliariorum divertat decem, vel quindecim, parum iter reputabitur: at si in viginti divertat decem, vel in decem divertat tres, vel quatuor, reputabitur diversio notabilis.*

200 Secunda ratio est: quia respectu fugientis è carcere concordant DD. *Liberum esse ab Apostasia, tamen, quod sit nimis gravatus; modò statim adeat Superiorem; aliter pro fugitivo habetur.* Marcus Antonius Genuensis in Practicabilib. Eccles. quest. 741. num. 3. Barbosa in Cap. *Dilecte* de appellationib. 52. num. 3. Conciolus, resolut. 3. num. 5. verbo *Fuga*. Bordonus in tom. 5. *Prax. Crimin.* cap. 89. num. 37. in med. vbi loquendo de subdito arripiente iter ad Superiorem, qui facto ipso dicitur appellare, hæc dicit: *Procedit in eo, qui fugit è carcere, modò statim adeat Superiorem; aliter pro fugitivo habetur.*

201 At non potest dici P. Victoria statim Superiorem adisse, cùm dictio *Statim* dilationem nullam admittat, & regulariter intelligatur sine temporis intervallo. L. *Si finita*, §. *Non autem statim.* ff. de damno infect. L. *Cum quidam*, de legat. 2. Riccius in decisionib. Curiæ Neapolit. decis. 288. num. 6. & in Practic. fori Eccles. decis. 308. num. 2.

202 Et quamvis concordent DD. relictum esse Iudicis prudentis arbitrio iudicium circa resolutionem, quando res fit statim, aut in continenti; qui commensurare debet detentionem ex dilatatione temporis, attenta qualitate facti, consideratisque circumstantiis. Pax Jordanus, tom. 3. lib. 14. tit. 16. num. 261. Cancer, variar. lib. 2. cap. 16. num. 33. Mascardus de probationib. conclus. 687. num. 22. Menoch. de arbitr. cas. 7. num. 13. & cum aliis Antonelus, de tempore legali, lib. 1. cap. 11. num. 11.

203 Tamen, non obstante, nullus prudens resolvere poterit: quòd, vt P. Victoria pergeret Matritum, supposita diversione tam notabili, sit spatium breve detentionis, dies 54. in domo Castellani; quia quando aliquis existens Valentiæ, vocatur, vt compareat coram Illustrissimo D. Nuncio per se, vel per suum Procuratorem, praxis illius Curiæ est; assignare pro termino peremptorio 20. dies.

204 Nec recursus ad prætextatam infirmitatem, inobedientium asylum, est alicuius considerationis, aut momenti: Primò, quia notorium est, quòd hæc fuit cautelosa prævention facta iam à P. Victoria, cùm esset in itinere versùs Valentiam in oppido *Moxente*: Secundò; quia etiam notorium est, nullam Valentiæ passum fuisse infirmitatem: ex eoque comprobatur; quia ex informativo constat, P. Victoriam Missam celebrasse in his diebus detentionis: quod & in Consulto asseritur: *Potuit etiam licitè Missam celebrare*: per consequens quæ asserendum est, quòd voluntariè mansit, & non propter infirmitatem coactus, aut detentus. Nec in hac materia attestatio Medicorum facit fidem: quia vt plurimum veritatem non dicunt.

205 Considerata notabili detentione P. Victoriæ in domo Magni Castellani, & quòd, denegatione licentiæ non obstante, quam à Rmo, & Illmo. D. Nuncio postulavit, permanebat adhuc in dicta domo refugiatus, & à Religione fugitivus; surdusque effectus, nec audire volens persuasiones sanctas, vt ad Religionem reverteretur; Rdus P. Commissarius Curiæ Regalis, Frater Emmanuel de Aguilon, obtinuit Litteras, & mandata, quibus Illmus,

&

& Rmus D. Nuncius excommunicabat detentores; & occultatores Ps. Victoriæ; vt constat ex facto, num.49.

206 In hoc dictus P. Commissarius Curiæ iustè processit, & etiam Rmus P. Comm. Generalis dictas Litteras instare debuit; quia cùm posset fulminare Censuras contra detinentes,& occultantes Patrem Victoria, modò essent Layci, modò Clerici : ex speciali Indulto Sedis Apostolicæ ab Innocentio VIII. Minoritis concesso, vt habetur in Compend. Privilegior. verbo *Apostata*, §.4. Latè Miranda in Manuali, tom.1, quæst.51, artic.2, conclus. 2. Pellizarius, tom.2. part.1, tractat. 8, cap.8, sectione 3, vbi refert aliud privilegium Iulij II. Casarrubius in Compend. verbo *Apostata*, sub num. 17. vbi refert Privilegium Innocentij VIII. Rodriguez, quæst. Regular. tom.1, quæst.30, artic.8, Portel in dub. Regular. verbo *Apostata*, num.4. vbi refert Privilegium Julij II.

207 Ad cuius effectum debuit recurrere ad Illmum,& Rmum. D.Nuncium Apostolicum, tanquam ad Conservatorem Privilegiorum Regularium ; & vti ad illorum Iudicem Ordinarium. Miranda in Manuali, tom.1. quæst. 51. artic.2. Lezana, tom.1. cap.16. num.5. Pellizarius, tractat. 8. cap.8. num.78. Frater Antonius à Spiritu Sancto in Direct. tractat.3, disputat.6. sectione 11. §.2. num.1431. & 1432. ibi: *Includuntur tamen omnes Principes, Duces, alijquè Magnates, contra quos possunt Prælati Religionum procedere cum Censuris per suos Conservatores.*

208 Potuit Rmus Pater, Patrem Victoria persequi, & comprehendere quacumque in parte esset, vel inveniretur, invocato ad hoc (si opus esset) auxilio brachij Sæcularis, vt habetur ex Constitutione Sixti IV. in Bullario Ordinis Prædicatorum, fol.153. litter. B. & secundùm alias Constitutiones Apostolicas, quas refert Casarrubius in Compend. Privileg. Minorum, verbo *Apostata*. Sanchez in Decalog. lib.6. cap.8. num.11. Naldus, verbo *Religiosus, num.32.* Donatus, tom.1. tractat.6. quæst.20. à num.14.15. & 16.

209 Et cùm posset auxilium brachij Sæcularis implorare Rmus Pater, vel eius Commissarius Delegatus, hoc minimè fecit: immò tali medio neglecto, quia durissimo, recursum habuit ad Tribunal Ecclesiasticum Illmi,& Rmi. D. Nuncij, qui, tanquam Legatus à Latere, est Iudex,& Prælatus Ordinarius Regularium, secundùm Cochier de Iurisdict. Ordin. in exemp. part.1,& 2. Alvarez Pegas de Competentijs inter Episcopos,& Legatos à Latere, cap.49. per tot. In quo processit Rmus cum illa prudentia,& consideratione, quam Pater Victoria poterat desiderare.

210 Quamvis ergo supramemoratæ Litteræ à Rmo.& Illmo.D.Nuncio obtentæ iam erant, nec notificatæ, nec publicatæ fuerunt toto illo tempore, quo Pater Victoria refugiatus in domo Magni Castellani permansit. Immò solicitudine, qua potuit, procuravit Rmus Pater, vt ad Religionem P. Victoria reverteretur; quod tandem obtinuit aliquibus signis reconciliationis præstitis, ad Conventum Coronæ redeundo, vbi absolutionem suæ Apostasiæ recepit à Patre Guardiano illius Conventus coram duobus testibus die 23. Ianuarij 1697. vt in facto manet relatum.

211 A dicto Conventu egressus est P. Victoria, vt ad Conventum Alonensem properaret, sine custodia aliqua, & solùm cum Socio sibi à Rdo. P. Provinciali dato; sed Conventum Alonensem non fuit ingressus, sed frangendo fidem,& non adimplendo promissionem datam, iterum apostatavit; quod cum pervenisset ad notitiam Commissarij Delegati, publicare fecit Litteras Domini Nuncij (absque speciali ordine Rmi P. Commissarij Generalis) præcipuè in Civitate Deniæ, Gandiæ,& Olivæ; cogitans cum magno fundamento, quòd ibi absconditus,& refugiatus erat.

212 Ex his omnibus notum fit, quòd Pater Victoria non potest simulare primam,& secundam fugam, sub prætextu gravaminis illati, in modo publicandi illum, vt apostatam, & excommunicatum; quia post primam fugam tot circumstantijs, diversionis itineris, & lôginquæ detentionis, vestitam, cùm nollet Superiorum mandatis obtemperare; tantummodo obtentæ fuerunt Litteræ Illmi,& Rmi. D. Nuncij, sed publicatæ nullo modo fuerunt: neque litteræ Patentes Rmi P. Comm. Generalis, in quibus P. Victoria vt apostata excommunicabatur, lectæ fuerunt, nisi biduo, ante Patris Victoriæ ad Conventum Coronæ restitutionem, in quo, absolutionem Apostasiæ accepit, cum firma promissione se conferendi ad

Con-

Conventum suæ Obedientiæ, quam fregit; & secundò sine aliqua causa fugit, animum obstinatum manifestando: in quo casu necessarium vissum fuit Litteras Illmi. D. Nuncij in locis convenientibus legere, & Patentes Litteras Rmi. P. Comm. Generalis in omnibus Conventibus Valentinæ Provinciæ publicare, vt sic perterrefactus P. Victoria ad Religionem rediret.

PARS TERTIA.

Notantur supposita, & errores in facto fictos, & in memorato Consulto relatos.

213 IN exordio Consulti supponunt Consultores visos à se atticulos pro parte Fisci exhibitos, responsaque istius in iure facta contra illos legaliter per ipsum P. Iacobum Victoria præsentata; secundùm quas allegationes, & responsa, perpensis perpendédis, PP. Consultores suum Consultivum votum dederunt sentientes, & asserentes, recursum Patris Victoriæ ad Rmum. P. Ministrum Generalem fuisse legitimum, ipsumque Patrem recurrentem à nota Apostasiæ immunem.

214 Sed in hac materia necessarium duxi interrogare PP. Consultores, vt dicant, quos viderunt articulos à Fisco contra Patrem Victoria præsentatos? Quia si erant novi articuli per Fiscum formati; male viderunt; illi enim nec erant ad intentum, nec ad controversiæ punctum: non enim respiciebant, nec respicere poterant punctum Apostasiæ, & recursus. Si ergo articuli visi extracti fuerunt à Processu informativo, ex commissione Rmi. P. Commissarij Generalis formato à die 9. Octobris vsque ad diem 25. eiusdem mensis anni 1696. à quo eruenda erat causa, & motivum Obedientiæ, & etiam ex Processu formato super Apostasiam Patris Victoriæ, quæ omnia in re videnda, perpendenda, & examinanda erant; quomodo declarari potuit recursus legitimus? aut quomodo P. Victoria innocens à crimine Apostasiæ censendus erat?

215 Contrarium enim evidenter convincitur ex facto verè relato in prima parte huius Apologiæ, & ex iure certo secundæ partis; cùm certum apud omnes sit, quòd ad hoc, vt hæc fuga, sub prætextu recursus legitimetur, & ab Apostasiæ nota liberet recurrenté; necesse est, quòd verificetur gravamen actuale, grave, & iniustum, ortum ex detentione P. Victoriæ in Conventu Alonensi; quod gravamen nullo modo cōsiderari potest, sive Obedientia data sit, vt obedientia Regularis, sive vt reclusio, sive vt carcer ad custodiam: quia ad hæc omnia procedens Rmus P. Comm. Generalis iustissimè, & absque inferendo gravamen procedebat, vt manet abundè in secunda parte probatum.

216 Ante quàm Reverendi Patres Consultores Narrativam facti incipiant, allegant textum in Leg. *Si ex plagis*, §. *In clivo Capitolino*, ff. *Ad legem Aquiliam*; vbi dicitur, *quòd ius, ex facto sequitur*. Verè dicunt, & hoc in Romana Curia est commune proloquium, vt testatur Lezana, tom. 4. pagin. mihi 512. numer. 1. Etiamque est verum, quòd ex facto ius moritur, vt notavit Ancharranus, cons. 254. numer. 2. ibi: *Sicut ex facto ius oritur; Ita ex facto ius moritur: vnde nascitur, quòd propter minimam facti mutationem, mutetur totum ius*; per text. in L. *Si his*, ff. *de excusationib. Tutor.* L. *Natura cavillationis*, ff. *de verbor. observat.* L. *Ea est*, ff. *de regul. Iur.* Ob quam rationem optimè dixit Federicus de Senis, cons. 152. ibi: *Congruum responsum dari non posse à Iuris-Consulto, nisi factum percipiat.*

217 Verum factum in Apostasia P. Victoriæ PP. Consultores, non modò non perceperunt, sed neque viderunt. Ex facto ficto, & falso ipsis proposito, ius fictum ortum fuit. *Si ex facto ius moritur*, moriatur nunc ius dictum à Consultoribus ex propositione facti veri; & ex hoc bene viso, matureque perpenso, totaliterque à facto illis proposito distincto, oriatur ius certum, ius rectum, ius verum; & destructa sententia falsa, illo facto falso innixa, & cum dedecore fingentis facta, vt mortua, sepulta, oriatur viva, oriatur vt recta, oriatur vt iusta

iusta ex facto vero, Sententia quo delinquens damnetur, & Rmi P. Comm. Generalis, recta administratio iustitiæ per totum Orbem laudetur.

218 Incipiunt Consultores suum Consultum, vera falsis in narrativa facti miscendo. Dicunt enim, quòd Rmus. P. Comm. Generalis, terminato triennio P. Victoriæ, cùm præsideret Comitijs Provincialibus vt de Ministro Provinciali Valentinam Provinciam provideret, per fas, aut per nefas procuravit, etiam minacibus verbis, deterrere Patrem Victoria, vt veniret in eligendo in Ministrum Provincialem P. Vincentium Perez, in illiusquè electionem consentiret. Hoc est certum, dicunt. Hoc mendacium, hæc falsitas, hæc iniuria, ex quibus Actibus resultat? in quo Processu manet probata? Quomodo iudicatur vera, absque citatione, & defensione Rmi P. Comm. Generalis? hoc est verum Consultum? hoc est Religiosum votum? hoc est iudicium rectam? condemnare inauditum, non citatum, & indefensum? & quòd peius est, ex hac causa conficta, somniata, & adinventa statuunt totum fundamentum reclusionis P. Victoriæ in Conventu Alonensi intimatæ à Notario (a Secretario debebant dicere) coram duobus testibus; cuius decreti copiam petens P. Victoria, illam denegavit Reverendissimus.

219 Dicunt, quod totum hoc constat ex Summaria pag. 1. 4. & 5. Ex Processu Summario, iussu, commissione, & auctoritate Rmi P. Commissarij Generalis confecto, nihil cõstat de adinventis, & fictis minis tempore Capituli: nihil constat de voluntate eligendi in Ministrum Provincialem dictum Patrem Vincentium Perez. Quod ex illo constat est, decretum intimatum P. Victoriæ non fuisse reclusionem, sed obedientiam Regularem, & œconomicam: constat, quòd nihil in tali Obedientia excedebat vires Regulæ, potestatem Prælati, & obligationem obediendi in subdito.

220 Constat, quòd talis Obedientia intimata fuit P. Victoria per Secretarium Generalem, coram testibus, & in scriptis; constat, quòd P. Victoria, humili animo dictam Obedientiam acceptavit, appellationis iura solùm sibi reservando, casu, quo talis Obedientia includeret privationem: Constat, quòd Rmus P. Comm. Generalis explicavit authenticè suum animum, nempè, quòd talis Obedientia erat regularis, & œconomica, & quòd nullo modo continebat privationem: Constat, quòd causa talis Obedientiæ fuit diffamatio, & plusquam semiplena probatio incontinentiæ Patris Victoria, quæ probata erat ante celebrationem Capituli. Hæc omnia ex Processu Iuridico constant. Dicant Patres Consultores: omnia illa numerata mendacia, ex qua Summaria constant?

221 Ad hanc ergo Obedientiam intimandam, non fuit motus Rmus P. Commissarius ob rationes fictas in facto ficto; quia ante celebrationem Capituli Provincialis die 28. Octobris anni 1696. & ante notificationem Obedientiæ die 2. Novembris eiusdem anni, constabat ex Processu informativo, quòd Pater Victoria erat publicè, & notoriè diffamatus de criminibus incontinentiæ per sex testes; & de particulari crimine per quatuor testes, vt manet dictum in facto: & non solùm illum ante Capitulum, vt meritò suspectum de fuga, non carceravit, sicut potuit; non solùm illum à Capitulo non exclusit, sicut illi licebat, ex num. 78. sed è contrario Patrem Victoria in Capitulo honoravit, beneficusquè illi fuit, differens celebrationem Capituli Provincialis, ex mera gratia, vsque ad diem 28. Octobris, in qua biennium physicum sui Vicariatus adimplebat; vt sic cum honoribus Patris Provinciæ remaneret, quod alia via consequi minimè poterat.

222 Secundùm hoc iuridicum Informativum, & iuxta probationes resultantes, potuit Rmus P. Comm. Generalis carcerare Pm. Victoria, saltèm post Capitulum, vt probatum manet à num. 84. & attenta qualitatè delicti, & personæ; & attenta suspicione fugæ, & denique attento fundato timore subornationis testium, cum minore probatione delicti illum poterat iustissimè carcerare ad custodiam; quod non fecit. Ex quo ergo convincitur malus illius animus? Ex quo depræhenditur illius malevolentia erga Pm. Victoria? Quomodo manent expertæ, & comprobatæ minæ? Quod iustè potuit facere (& fortè debuit) Rmus P. Comm. non fecit: quomodo faceret, quod iustè non poterat?

223 Convincitur ergo; quòd cùm esset causa præexistens, & sufficienter probata, non solùm ad detinendum Patrem Victoria, sed etiam ad carcerandum ad custodiam; cum

esset compilatus Processus informativus,& cùm adesset plusquàm semiplena probatio delicti; Obedientia, die 2. mensis Novembris P.Victoriæ data fuit ob hanc iustissimam causam, quę ex Actis apparet probata,& non propter turpe, fictumquè motivum Consultorum in ficto Consulto.

224 Quia præter quàm,quòd Pater Victoria non potuit probare,nec probabit vnquam Rmum P.Comm.Generalem illum minatum fuisse; nec tali modo, nec alio licito procurasse determinatè electionem Patris Vincentij Perez in Ministrum Provincialem; nec quòd ipse P.Victoria in dictam electionem non consensit;quia consensus illius dictam electionem est certus;& casu,quo omnia supradicta ritè,& rectè manerent probata,solùm esset certum,quòd propter hanc motivam rationem non poterat iustè persequi,& puniri: Ex Capit. *Sciant cuncti*,de Election. in 6.Passerinus de Elect.cap.4. num. 31.

225 Sed hoc debet intelligi,quando non datur causa præexistens alia ante persecutionem,vel punitionem,facta Superioris iustificans,iuxta verba litteraria citatiCapitis: *Sciant cuncti*, ibi : *Sivè alios iniustè persequendo gravare præsumpserit*. Silvester in Summa,verbo *Electio*, num.39. Barbosa de Potestate Episcop.allegat.50.num.202. Passerinus de Electione , cap. 4.num.34. ibi : *Requiritur igitur iniusta persequutio. Vnde qui persequitur aliquem iustè , non incurrit hanc excommunicationem*. Et sub num.35.& 36. prosequitur Passerinus , statuens pro regula certa, non solùm esse necessariam iniustam persequutionem, sed etiam,quòd talis persequutio sit ob negatum, Superiori petenti,suffragium.

226 Ex dictis manet destructa tota narrativa facti conficti : & cùm tale factum , vt supponitur effectum,sit totum fundamentum prætensi gravaminis;clarè convincitur ex facto vero,Patrem Victoria nullum pertulisse gravamen,sed reportasse in Obedientia data magnum beneficium.

227 Continuant suum factum PP.Consultores,affirmando,quòd post spatium 20.dierum reclusionis,consideratione habita dictorum gravaminum,& metuendo maiores minas, post factam sui animi declarationem,dicessit à ConventuAlonensi,vt suum Superiorem maiorem adiret per viam recursus:& posteà dicunt, reliquisse Conventum Alonensem , vt ad Illmum,& Rmum D.Nuncium Matriti commorantem iret ; quod, dicunt, constat ex Summaria pag. 1.&.& 26.

228 Miror,quòd talia dicant. Ex Summario enim constare poterit declaratio facta à P.Victoria adeundi ad suum Superiorem, vt manet in facto relata n.45.sed quo modo constare poterit intentio eundi ad Dm. Nuncium? Hoc P. Victoria in illa sua protestatione non expressit : hoc nullus scire potuit; & ipsummet factum contrarium convincit.Quo modo ergo in Summaria apparet?

229 Miror quoque,quòd P.Victoria tam gravatus iudicetur propter Obedientiam datam,cum suis annexis,& connexis; cum omnia præcepta expressè PatriVictoriæ inObedientia imposita non excedant obligationem , quam omnes Fratres Minores per obedientiam translati implicitè habent: siquidem omnes tenentur obedire Guardiano; sine licentia Præsidis a Conventu non exire;neque à limitibusGuardianiæ sineObedientia,aut consensu Provincialis, vel Generalis; neq; ob hoc carcerati censentur adhuc per equivalentiam , nec reclusi; in Statutis enim nostris Generalibus sic decernitur cap.2.§.10.n.19.apud Sanctorum de pœnis,cap.9.pag.402.vers.*Quæstio octava*, ibi : *Locali Superiori suos Subditos extra Conventus limites mittere non liceat,nisi specialiter illi indultum sit: mittens officio privetur;missus , de levi saltèm Appostasia notetur*.

230 Quæ ergo differentia est inter Obedientiam datam Ptri. Victoriæ , & Obedientias omnibus alijs Religiosis datas?Certè nulla:quòd in Obedientijs aliorum implicitè,ex vi memorati statuti, subintelligitur,hoc in Obedientia data Patri Victoriæ expressè declaratur. Et hæc nulla est differentia; *taciti enim,& expressi idem est iudicium*. L. *Cùm quid* , ff. *Si certum petatur*. L. *Si filius familias*, ff. eod.tit.Covarrubias in Cap. *Quamvis pactum* de pactis,lib.6. part.2. in initio,num.6.in med.Menochius,cons.108.n.54.Hermosilla,leg.2.Gloss. 5.num. 1.& 2.Barbosa *de Axiomatib*. axiomat.218.num.1.

231 Solùm enim differunt; quia cùm alij Religiosi exire possint extra limites Conventus

tus accepta licentia à Provinciali, vel Generali; P.Victoria solùm limites exire poterat cum licentia Rmi Comm. Generalis, aut Ministri Generalis. En tot gravamina illata : en honorem Patris Victoriæ deperditum : vide malum animum Rmi.P.Comm.Generalis, & eius erga Pm. Victoria malevolentiam. Qui cùm tam grave motivum haberet carcerandi P.Victoriam, iuxta merita causæ; illum, vt ConventualemConventus Alonensis destinavit, reservans sibi facultatem licentiandi Pm. Victoria extra limites Conventus. Hanc destinationem vocitant reclusionem:& carceri æquiparant. Si enim PP.Consultores vidissent Processum informativum contra P.Victoria,& probationes ex illo ante Capitularia Acta resultantes,non illum gravatum, sed benignissimè tractatum sentirent.

232 Et si probatio,& informatio hæc visa non fuit, nullum est Consultum , nullaquè Iudicis *ad quem* sententia dici debet, iuxta Sanctiones Canonicas,& OrdinisConstitutiones, ex Parisiensibus 1579. In compilatis verò, cap.7.§.4. de appellationib.vers. *Iudex verò*, pag. 206. ibi : *Iudex verò, ad quem appellatum fuerit, nisi Actis primæ instantiæ, quæ , vel Reus appellans producere, vel Iudex, à quo, remittere debet, accuratè visis, ad eius absolutionem, aut causæ cognitionem minimè procedat; alioquin absolutio, & indè sequuta quæcumque, irrita censeantur.*

233 Nunc consideretur attentè, quis gravare dicetur; qui, cùm posset recludere , & ad custodiam carcerare propter plusquàm delicti semiplenam probationem, solùmObedientiam regularem cum certis modificationibus dedit; vel qui somniat facta; qui iniurias fingit ; qui contra debitam reverentiam scribit,& contra ipsam facti veritatem loquitur ; confitendo in hoc, vel quòd non vidit, vel quòd videre noluit probationes certas, claras,& iuridicas; quibus non visis, procedere ad declarationem innocentiæ P. Victoriæ nec debuit, nec potuit?

234 Sed si fortè causas,& motiva, ad dandam dictam Obedientiam animum Rmi Patris Commissarij Generalis moventia, ignorabant, vel ex Summaria Apostasiæ non apparebant; ipse Reverendissimus Pater Commissarij Generalis debuit interrogari, citari,& audiri; vt si aliquas haberet ipsis ignotas, manifestaret,& aperiret. Expressè Amenus , in Praxi Criminal. tit.3. *Canones circa recursum.* §.19.num.51.vers. *Dubium verò :* qui , post medium, ita scribit :

235 *Tamen notorium non est gravamen; quia Iudex, à quo, habet pro se rationem, quare illum sic severè arctandum decrevit: quia est Religiosus malus, & Iudex voluit, hac occasione accepta , illum punire de delictis, quæ vera sunt, & extrajudicialiter sciuntur, sed in iudicio non poterunt probari; & ratio ista, quam habet Iudex, à quo, pro se, non patet ex Actis transmissis ad Iudicem, ad quem ; pariter videtur, quòd cùm delictum ipsius non sit atrox, gravamen sit ipsum habere suspectum de fuga , & sic custodia mancipare; sed hoc notorium non est, quòd gravamen sit; quia Iudex , à quo, probare potest , Reum fugæ consilium inijsse , licèt hoc minimè constet in Actis transmissis.*

236 Et in versic. *Dico ergo*; vbi postquàm stabilivit doctrinam, nempe, quòd si ex Actis Iudicis, à quo, transmisis notoriè de gravamine constat, nō debetIudex, à quo, citari;contrarium resoluit casu, quo gravaminis causa ex Actis transmissis non constaret ; quia tunc audiendus est; vt si quam habuit iustam gravaminis causam. Amenus, ibi : *Si verò notorium non sit ipsum gravamen, & possit, aut ex Iure, aut ex facto aliqualiter defendi sententia Iudicis, à quo ; tunc concedo, quòd debet citari, & audiri, &c. Consulerem tamen, ad vitanda litigia, & quermonias , vt Iudex, à quo, semper audiretur.*

237 Sanctorus, de pœnis, cap.26. vers.*Respondeo, si agatur*, pag.342. ibi: *Quinimò citari debet, & audiri, ad tuendum suum honorem, & ostendendum, se bene processisse ; satis enim refert, benè, aut male audire, de integritate, aut scientia, colligitur.* L. final.C.de Offic.Vicarij,& L.1. ff. *Ne vis fiat ei.*

238 Demum, quia secundùmBordonum, tom.5.*Prax. Crimin.*c.89.n.10.*Iudex non potest gravare Reum , nisi tripliciter : Primò, quando Iudex in procedendo non servat ordinem Iuris. Secundò, Reus gravatur supra modum, dum est innocens; tunc enim sine dubio appellat. Tertiò, dum Iudex in puniendo excedit modum notabiliter, debet enim pœna esse proportionata culpæ, aliter iniuria fit Reo.*

239 Nullo ex his tribus modis erat P.Victoria gravatus: non propter non servatum in Processu ordinem Iuris, cùm contrarium appareat ex Actis: non quia P. Victoria esset innocens, cùm ex testiū depositionibus convincatur culpatus: neque quia Rmus P.Com.Generalis

ex-

excessit in puniendo modum notabiliter; in nullo enim adhuc punivit: & cùm posset, iuxta merita Causæ, illum carcerare ad custodiam, nec carceravit, nec reclusit, sed solùm illam Conventualem in Conventu Alonæ dengnavit, cum facultate egrediendi Civitatem; & non exeundi limites Conventus sine suo assensu, & beneplacito.

240 Prætendit comentitium factum excusare detentionem, quam P. Victoria in Domo Castellani Valentiæ fecit, per spatium 54. dierum, contra obedientiam Superioris, sine vrgentissima causa; cum hoc sit in Statutis Generalibus expressè prohibitum, cap. 2. vt refert Sanctorus, de Pœnis, cap. 9. pag. 396. vers. *Respondeo secundò, contrarium definitum*, ibi: *Si extra Conventum per octo dies moram traxerit, gravioris Apostasiæ Reus declaratur, & per tres menses carceribus mancipari debet.* Cùm ergo tempus 54. dierum videatur Patribus Consultoribus brevissimum, longissimum existimant tempus 2. dierum somniatæ reclusionis.

241 Prosequuntur factum, dicentes; quod a Rmo P. Comm. Generali nihil aliud obtinui potuit, nisi, quod P. Victoria reverteretur ad Conventum sibi per Obedientiam destinatum, quod, renuente P. Victoria, illum vt Subditum fugitivum, & inobedientem in omnibus Provinciæ Valentinæ Conventibus iussit publicari; & obtentis ab Illmo. & Rmo D. Nuncio litteris, vt pariter in omnibus Sæcularibus Regni Valentiæ Ecclesijs, vt Apostata, & excommunicatus publicaretur, cum effectu publicatus fuit Deniæ cum ingenti sæculi scandalo.

242 Involvuntur in hac narrativa mendacia, & culpabiles omissiones. Primò omittitur patientia Rmi P. Comm. Generalis, qui per tot dies spectavit reductionem Patris Victoriæ, nolens contra ipsum procedere, vt Iudex; & cùm ipse P. Victoria permaneret fugitivus, & extra Claustra à die 26. Novembris anni 1696. vsque ad diem 23. Ianuarij sequentis anni, quo die reversus est ad Religionis arcam in Conventum Coronæ, noluit quòd litteræ Illmi. Dni. Nuncij obtentæ diebus, 9. & 10. Ianuarij publicarentur in multis Conventibus, nec cum effectu publicatę fuerunt in omnibus, nisi post secundam fugam.

243 Secundò, silentio pręterit, quòd salutaria monita Patri Victoriæ facta ad instantiam Rmi P. Comm. Generalis, qui, tanquam verus Pastor, dolebat de Ove perdita, &, tanquam pius Pater, de filio Prodigo, qui abijt, fuerunt in causa, vt P. Victoria mentis oculos aperiret, in Conventuque Coronæ se præsentaret, absolutionem peteret, quam à Rdo P. Guardiano, coram testibus, accepit.

244 Tertiò prætermittit, quod absolutione accepta, permissum fuit illi cum vno Socio serviente Alonam redire, sed non ad Conventum, sed ad Sanctæ Mariæ Angelorum Hospitium eiusdem Civitatis pervenit, in quo, relicto Socio assignato, & alio pro sua voluntate accepto, iterum absque nova causa fugit, vim inferendo cum tam culpabili reincidentia, vt Litteræ Illmi. Dni. Nuncij convenientibus in locis publicarentur, litteræ quoque Patentes Rmi Comm. Generalis publicarentur in Conventibus, in quibus propter suum regressum ad Religionem publicatæ non fuerant.

245 Videamus nunc, quo prætextu iustificabitur hæc secunda fuga? hæc nova Apostasia? Certè nullo: quia factus iam P. Victoria obediens petendo, & recipiendo absolutionem, palam confessus est, incidisse in Apostasiam ob egressum â Conventu Alonæ, sine legitimi Prælati licentia. Ex cap. *Dilect.* 52. Gloss. notabil. Rodriguez quæstion. Regular. q. 30. art. 3. Sanchez lib. 3. Consilior. cap. vnico, disput. 32. n. 22. Panormitanus apud Pelliciarium, tract. 6. cap. 7. n. 3.

246 Et expressè Gloss. in cap. *Venerabilem, vt postulavit*, & ibi Hostiensis, de elect. Bartholus, & alij apud Farinac. quæst. 5. num. 26. Passerinus, Tribunal. Regul. quæst. 23. art. 12. num. 144. ibi: *Petitio absolutionis ab excommunicatione, per se, & ex natura sua supponit excommunicationem; & ideò infert confessionem excommunicationis, vel Iudicialem, si fiat in Iudicio; vel extrajudicialem, si fiat extra Iudicium.*

247 Neque obstare poterit, quòd talis absolutio petita, & acceptata fuit à P. Victoria ad cautelam; nam si hoc intendebatur, debebat exprimi; & cùm expressum non fuerit, confessionem excommunicationis inducit. Passerinus loco citat. sub eodem num. 144. ibi: *Nec obstat, quòd potest esse, quòd absolutio petatur ad cautelam; quia si hoc intenditur, debet exprimi:*

nam

ram aliàs absoluta petitio absolutionis ab excommunicatione, illam supponit, & ideò sive agatur de modico, seu de gravi præiudicio, semper absoluta petitio absolutionis ab excommunicatione, supponit excommunicationem, & illius confessionem inducit.

248 Neque gravamen novum poterat allegari; quia præterquàm, quòd illa Obedientia (quam reclusionem appellant) nullum illi gravamen inferebat, de novo illam, facto & verbo, acceptavit; verbo, promittens reversionem in Conventum Alonensem; & facto, arripiens cum Socio iter versùs supradictum Conventum. Quid aliud novi accidit P. Victoriæ? Certè nihil: Ergo hæc secunda fuga, etiam sub nullo prætextu, iustificari potuit.

249 Quartò, licèt præsupponant, (& verè) duos Commissarios fuisse designatos ad inquirendum contra Pm. Victoria; tamen prætermittunt, quòd exprimere debuerant, vt facta non confunderentur; nempe, quòd designatio primi Commissarij fuit ante celebrationem Capituli, vt de illius incontinentia inquireret: secundus vero Commissarius deputatus fuit, post factam Apostasiam, vt de illa cum suis circumstantijs Processum informativum reciperet. In hoc nullum est gravamen. Frustrà enim conqueruntur ex duplicatis Commissarijs, cùm Pater Victoria multiplicaverit delicta, & causas.

250 Vocant PP. Consultores Reverendum Patrem Iosephum Abaroa hostem infensissimum P. Victoriæ. Sed, O!, quàm detestanda vox apud Religiosos! Interquè Regulares minimè allegenda! Rodriguez, quæstion. Regular. tom. 2. quæst. 15. artic. 3. ibi: *Inter Religiosos non est admittenda hæc loquutio, vel exceptio inimicitiæ capitalis; nam Religiosi quotidiè Sacramenta recipiunt, Missam celebrando; & Sacramentum Confessionis percipiunt, & cætera sancta exercitia faciunt, cum quibus stare non potest, vt plurimum, odium capitale.*

251 Portel, tom. 2. casuum, casu 16. num. 1. pagin. 192. ibi: *Quàm detestanda sit hæc loquutio, seù allegatio inimicitiæ capitalis inter Religiosos, qui aliquando, prætextu illius, sæpè se defendunt.*

252 Ad fundandam hanc capitalem inimicitiam, asseritur in Consulto, Rdum P. Abaroa in hæc prorrupisse contra Patrem Victoria detestabilia verba, velut ipsi dicunt: *Cuius illæ horribiles voces in Patrem Victoria: Obsecro Deiparæ Virgini, ipsum corpore, & anima à Dæmonibus demoveri.* Propter rationes in Consulto allegatas declaratur innocens P. Victoria, non obstantibus delictis iuridicè probatis; & in eodem Consulto Rdus P. Abaroa, non citatus, non auditus, non defensus, & absque aliqua probatione iuridica, condemnatur.

253 Eritnè hoc, secundùm rationem, Consultum? Minimè; quia partem non citare, est contra Ius Divinum, & naturale. Sanctorus, de pœnis, cap. 1. pagin. 27. vers. *Respondeo.* redditquè omnia Acta ipso iure nulla. Clarus, quæst. 31. Farinac. quæst. 11. num. 49. & quæst. 22. num. 66. volum. 1. Scacia, de Veritat. quæst. 52. à num. 7. Ancharranus, in Clementinam, *Sæpè*, de verbor. signification. num. 37. Reumquè non audire, etiam contra ius est divinum, & naturale. Clementina, *Pastoralis*, de re iudicata, Sanctorus, citat. cap. 1. pagin. 32. vers. *Pars dicitur.*

254 Si enim hoc grave piaculum contra Patrem Abaroa adinventum est sine occasione aliqua, vt ex illo motivum sumerent diffamandi, & iniuriandi præfatum Delegatum contra Deum, & Iustitiam, vt & sic sterneretur via ad infirmandum Acta super principale ab ipso recepta; male cogitaverunt: quia, si P. Victoria talem Delegatum sentiebat inimicum, debuit proponere causas inimicitiæ coram ipso Delegante, ipsumquè recusare; aliàs omnia nihil prosunt. Amenus, tit. 3. toto §. 2. à num. 9.

255 Sed cùm hoc non factum fuerit, Acta ab ipso confecta sustinenda sunt. Amenus in Pract. dict. titul. 3. quæst. 11. in qua hanc proponit difficultatem: *An Processus inceptus à Iudice recusato, sit validus?* Et num. 130. concludit, ibi: *Respondeo, quòd cum Iudex ante recusationem non habeat impedimentum suæ iurisdictionis, Acta per eum sunt legitima & debent sustineri; nihil enim adhuc intervenit, per quod eorum valor labefactetur.*

256 Hanc sententiam firmavit Rota Romana apud Marcheranum de Commissionib. tit. de Iudice suspect. tom. 2. part. 5. cap. 1. num. 41. Fermosinus, in Cap. *Si quis contra.* 4. de Offic. Delegat. quæst. 10. num. 7. Et cum alijs Passerinus Tribunal Regul. quæst. 3. artic. 5. num. 77. ibi: *Hoc autem primò pro certo haberi debet, quòd ad hoc, vt ipsius Iudicis suspecti iurisdi-*

ctio, vel tollatur, vel suspendatur, ipseque teneatur abstinere à iurisdictionis exercitio, &, si aliter faciet, Processus non valeat, necesse est quòd recusatio praecedat. Vnde bene valet quidquid per Iudicem suspectum actum est, antequàm fuerit recusatus.

257 Concludunt factum commentitium PP. Consultores sic: *His omnibus angustijs P. Victoria pressus, & à Reverendissimo Patre N. Commissario Generali denegato recursu, vt posset adire ad Illustrissimum D. Nuncium, potuit petita, & licèt non obtenta licentia Illustrissimi, & Reverendissimi Nuncij, arripere Romae iter.*

258 In hoc verè falluntur PP. Consultores; quia antequàm P. Victoria ex Alonensi Conventu exiret, vt ad praesentiam Illmi D. Nuncij pergeret, debuit licentiam impetrare, vel ab ipso Illmo D. Nuncio, vel à Rmo P. Commissario Generali; vel illam petere; quod constare debuerat ex fidedignorum testimonio, vt apostasiae notam non incurreret. Expressè habetur ex Constitutione Sixti V. quae incipit, *Ad Romanum*, relata per Cherubinum, tom. 2. Constitut. 71. §. 20. & 21. ibi: *Quòd si dicat, se confugere ob gravamina à suis Superioribus sibi illata, & ideò ab ipsis licentiam, & litteras obtinere non potuisse; non propterea vllo modo recipi debet, nisi de fidedignorum testimonio de petita ab eo licentia, & per suos Superiores denegata, constiterit.*

259 Peyrinis de Religioso subdito, tom. 1. quaest. 1. cap. 20. §. *Si autem*, ibi: *Subditus, quantumvis gravatus coram testibus fidedignis licentiam petat, etsi certò sciat, Praelatum eam denegaturum: sicque procuratis litteris testimonialibus à supradictis testibus, praefatam licentiam fuisse petitam; Superiorem adeat maiorem.* Concordat Bordonus, tom. 5. Prax. Crimin. pag. 181. numer. 32.

260 Sed nihil horum fecit P. Victoria, nec de petenda licentia cogitavit antequàm Valentiam veniret: cùm verò ibi, contra Obedientiam Superioris, & sine postulatione licentiae esset, licentiam eundi Romam ad Rmum P. Ministrum Generalem impetrare procuravit ab Illmo, & Rmo. D. Nuncio: sed de hac licentia petita non constat ex fidedignorum testimonio: Per consequensque in narrativa facti omnia involuit, & casum non imaginatum pro certo supponit; & in omnibus alijs habetur pro certo, quòd P. Victoria sine aliquo fundamento, & solùm ad confundendam veritatem, finxit.

261 Quia non solùm ferè omnia, quae in facto, tanquam certa, & facta supponuntur, commentitia, & falsa sunt; sed etiam quia nil eorum, quae supponuntur, adducuntur probata à P. Victoria cum Fisci citatione, & ante legitimum Iudicem; & per consequens contemnenda, & non attendenda erant. Expressè ex toto titulo Codicis: *Si à non competenti Iudice*: Cap. *At si Clerici* 4. de Iudicijs: vbi Barbosa, num. 4. Guasinus, defens. 1. cap. 1. num. 4. Bordonus, tom. 5. Prax. Crimin. cap. 46. à num. 1. cum seqq.

262 Testes enim adducti in Summaria citata in Consulto, non fuerunt examinati coram competenti Iudice; sicquè nihil probant. Amenus, tit. 15. quaest. 6. num. 115. ibi: *Sequitur ergo, quòd testium examen coram Iudice incompetenti factum, nullum est, nec valet ad damnandum, neque ad torquendum Reum.*

263 Nullitatem etiam patiuntur allegata in facto Consulti, ex defectu citationis non solùm Fisci, sed etiam Rmi P. Comm. Generalis; sine qua testium examen esse nullum, certissimum est. Rota Romana, apud Seraphin, decis. 1423. num. 3. Ead. Rota, decis. 86. num. 22. & 23. part. 12. recentior. Et decis. 58. num. 11. part. 15. & decis. 208. num. 5. & 10. part. 17. & decis. 298. ead. part. 17.

264 Si praetensa approbatio testium illò tendebat, vt circumstantiae ad designationem Conventus subsequutae (quae vocatur reclusio, & carceri aequiparatur) probatae manerent, nullius debet esse momenti, ad probandum praetensum gravamen, & ad excusandam fugam, & Apostasiam P. Victoriae: quia cum Consultum affirmet, totam causae difficultatem consistere in gravamine huius reclusionis; cùm Rmo P. Comm. Generali plusquàm semiplenè constaret delictum incontinentiae P. Victoriae; potuit iustè non solùm designare Conventum, & recludere, sed etiam carcerare.

265 A qua designatione, reclusione, vel carceratione iusta, non potuit P. Victoria licitè fugere. Bordonus, tom. 5. Prax. Crimin. cap. 54. num. 20. ibi: *Fuga solis in libertate existentibus licita est. Religiosi autem suam libertatem subiecerunt voluntati Superiorum, ideò clausurae*

sub-

subiecti fugere non possunt .... quia iam iustè carcerati fugere non possunt.

266 Si testes deponant, quòd Rmus P. Commissarius Generalis decretum reclusionis dedit contra P. Victoria; nihil in hoc probant; cùm certò constet, non fuisse reclusionis decretum, sed designationem Conventus per Obedientiam regularem, & œconomicam illi intimatam: vt patet ex num. 44. & 45. Et quando constat de facto per publicam scripturam, testes contra illam non probant. Rota coram Burato, decis. 351. num. 1. & coram Merlino, decis. 282. num. 10. & decis. 369. num. 2. Ead. Rota, decis. 293. num. 4. part. 14. recentior.

267 Si autem in Summaria supposita producti sunt ijdemmet testes, qui in Informativo legitima auctoritate constructo testificati fuerunt, nullam fidem, & probationem faciunt, secundùm iura: nam testes coram legitimo Iudice deponentes, si posteà variant, & contrarium deponant, primo illorum examini standum est. Per text. in Cap. *Tua*, de testib. vbi Abbas, num. 9. Felinus, num. 4. Menochius, de arbitrarijs: casu 118. num. 10. Surdus, decis. 197. num. 2. Farinac. de testib. quæst. 66. num. 124. Rota, decis. 86. num. 12. ibi: *Contra eorum quoque testium depositionem, neque visa fuit vrgere aliquorum retractatio in secundo examine subsequuta, præter quam enim primum attendi debet, & alterum sperni.*

268 Quod multo magis sine controversia procedit, quando producti testes, extraiudicialiter lite pendente, & sine Remissorialibus fuerunt examinati; cùm hoc totum sit factum absque auctoritate, & iurisdictione, Leg. 1. C. *Si à non competenti Iudice*. Cap. *Ad Audientiam*, de consuetudine. Mantica, decis. 199. num. 1. Rota Romana, decis. 100. num. 9. part. 15. ibi: *Minùs relevant testes noviter dati in Summario Capituli, num. 1. dicentes, bellum non fuisse atrox, vel citò esse datum, &c. quia quidquid ipsi dicant, non sunt attendendi, tanquàm examinati, lite pendente, & absque Remissorialibus Rotalibus, & sic absque iurisdictione.*

269 Neque scribarum attestationes attendi in hac re debent: sunt enim simplices assertiones, & in iudicio nullam merentur fidem. Rota apud Gregorium XV. decis. 214. num. 2. & decis. 100. num. 10. part. 5. diversor.

273 Ex alia parte cùm testes de delicto P. Victoriæ iudicialiter testificati fuerint; quamvis posteà revocent suum dictum, semper standum est primæ depositioni legitimæ, & iudiciali. Rota, decis. 19. de testib. in novis: & decis. 342. num. 2. part. 2. divers. & decis. 368. num. 5. part. 5. recentior.

274 Nullamquè fidem merebantur, licèt coram legitimo Iudice dicerent, se talem depositionem non fecisse, sicut invenitur continuata in Actis per Notarium, vel Secretarium, & coram competenti Iudice; quia standum est semper primæ depositioni, eò vel maximè, quando dictum subscripserunt, vel signum Crucis fecerunt, nescientes scribere. Avilès in Cap. *Prætor*, cap. 37. in Gloss. num. 20. Bobadilla in Politic. tom. 2. lib. 3. cap. 14. num. 49. Giurba, cons. decisivo 78. num. 17. Guasinus, defens. Reor. defens. 28. cap. 15. num. 6. Carena de Offic. Sanctæ Inquisit. part. 2. tit. 5. §. 13. à num. 68. vbi dicit, posse puniri, tamquàm testes falsi.

275 Ex quibus omnibus evidenter concluditur, quòd præter quàm nullam dicti testes in iudicio fidem merentur, nec illam extra iudicium. Omnia quæ allegata sunt à P. Victoria, in Consulto relata, habentur vt vera, & certa: non attendentes PP. Consultores probationem iudicialem factam iussu Rmi Patris Comm. Generalis; &, quod mirum est, quòd neque illius faciant mentionem. Cum hoc ergo falso supposito necesse erat, quòd sequuta resolutio rationi, & Iuribus dissona esset; &, quod peius est, quòd, cum factum secundùm voluntatem disponeretur, doctrinæ illud comprobantes non sunt inventæ: & Consultores potiùs videtur sedisse ad syndicandum torva intentione Reverendissimum Patrem Commissarium Generalem, quàm ad rectè iudicandum super Patris Victoriæ recursum.

PARS

PARS QUARTA.

Examinantur doctrinæ in Consulto allegatæ, & firmatur, quòd iuxta illas, & secundùm securiora Doctorum placita, declarari debuit, & confirmari, quòd publicatio Apostasiæ Patris Victoriæ fuit iusta, legitimèque facta.

273 SUbsequitur factum prædictorum Consultorum, qui ex facto ipsis proposito gravamen vt certum supponunt. Cùmque istud falsum sit, suppositum, & chimæricum, nulloquè modo perpensum fuerit; immò nec propositum factum genuinum, ac verum iudicialibus Actis communitum; hinc manifestè patet, deliberationem Consultorum notoriè esse nullam, vt probatum manet num. 229. vsque ad num. 233.

274 Fugam ex Alonensi Conventu licitam faciunt, propter gravamen reclusionis in dicto Conventu: præcipuè cùm orta fuerit propter æmulationem, & quia P. Vincentio Peréz refragatus fuit. Hoc est certum, & ita verum esse dicunt; vt Pater Commissarius Generalis nullam aliam assignaverit reclusionis causam. (Reverendissimum debebant appellare, cùm ab ipsis Pater Victoria perquàm Reverendus nominetur.)

275 Consequens istud adhuc Philosophiæ regulis nititur. Vera enim causa Obedientiæ regularis fuit, quia Reverendissimo Patri Commissario Generali adhuc visum fuit incumbere prosecutionem causæ Patris Victoriæ, etiamque Valentia oportebat illum removere, cùm esset locus sceleris, & vbi Processus continuandus erat; fugamque cavere potuit, vt testes deterreret, aut sua solicitudine corrumperet; vt factum posteà comprobavit; & ob hanc rationem motus Pater Victoria Valentiæ 54. dierum spatio commoratus fuit.

276 His omnibus motivis, cùmque sceleris testimonia plusquàm semiplenam fidem præstarent, cùm posset illum recludere, aut ad custodiam carcerare, hoc in regularis Obedientiæ præceptum commutavit, vt patet ex ipsa Obedientia illi intimata; num. 45.

277 Gravamen statuunt Patres Consultores in hac Obedientia, (quam reclusionem vocant) propter non assignatam in illa causam: sed quoniam in facto, neque in iure hoc certum, notorium, & manifestum est; ideò propter hoc gravamen (quod dicunt) non poterat personaliter recurrere, neque poterat appellare; vt enim appellatio liceat inter Regulares, gravamen debet esse manifestum, & certum: Bordonus, tom. 5. Prax. Crimin. cap. 90. num. 2. ibi: *Appellare posse, quando re vera sunt gravati, & manifestè constat de gravamine.*

278 Et num. 5. dicit: *Gravamen debet esse certum, & manifestum; & non dubium.* In eadem sententia est Sanchez, lib. 6. cap. 8. num. 100. ibi: *A gravamine dubio Regulares appellare non possunt; quia cùm sit illis prohibitum appellare ex privilegijs Ordinis, hoc debet intelligi in dubijs gravaminibus; ex quo tantùm in manifestis, & certis appellare possunt.*

279 Et Amenus, titul. 3. num. 89. vers. *Pariter Superiores*, ibi: *Si causa appellationis non est manifestè, & evidenter iusta, nullo modo debet admitti.* Et eodem titul. num. 47. vers. *Quod autem*, ibi: *Si ergo gravamen sit dubium, Reus appellare non potest, & proinde si appellat, nulliter appellasse, pronunciandum est à Iudice, ad quem:* Et ideò *In punitione Paterna, dubia existente causa appellationis, non in favorem Rei, sed Superioris punientis, immò in favorem disciplinæ Regularis Iudex debet inclinare.*

280 Passerinus, Regular. Tribunal. quæst. 32. artic. vnico, num. 35. ibi: *An verò quando gravamen non est certum, sed dubium sive negative, sive positivè sit Regularibus interdicta appellatio suspensiva, est valdè controversum, si loquamur de iure communi.*

281 Nunc ad rem nostram deveniamus. Quòd Obedientia data P. Victoriæ sit reclusio, neque est certum, nec evidens. Quòd gravetur ex causa non assignata, neque evi-

evidens est, nec certum; immò contrarium manet probatum à num. 127. vsque ad num. 136. Ad multum, omnia hæc dubia sunt; igitur dubium est; an Pater Victoria, sit, vel non sit gravatus secundùm considerationem ipsius Consulti: Ergo motivum, & causa recursus non potest dici manifestè, & evidenter iusta: & per consequens ex illa nequit recursus, vt legitimus iudicari.

282 Et si inspicimus veram Obedientiæ causam, non solùm non est certum, nec evidens gravamen, sed neque adhuc dubium. Immò evidens est, & certum, nullo modo fuisse gravatum; quia ex illa causa, si potuit sine gravamine carcerari, potuit, & melius, sine illo recludi. Et quamvis causa hæc ex syndicatione Patris Victoriæ non appareat, sufficit, quòd constet ex Processu formato auctoritate Reverendissimi Patris Comm. Generalis, qui attendendus erat ante revocationem, & sententiam. Amenus, titul. vltimo, num. 162. in medio, loquendo de Iudice, ad quem, ibi: *Antequàm ergo carcerationem, vt attentatam, revocet, sciat à Iudice, à quo, motiva ob quæ carceravit. Quòd si ea fuerint verisimilia, & vrgentia, non debet revocare carcerationem, quia ipsa iustificata est.*

283 Motiva quæ habuit Reverendissimus ad recludendum P. Victoriam (vocemus reclusionem, Obedientiam datam) non solùm fuerunt verisimilia; sed etiam certa, licèt ex syndicatione non appareant; non solùm vrgentia, sed etiam Reverendissimam suam Paternitatem necessitantia, vt patet ex reflexione ad factum, & à num. 68. vsque ad num. 76. Iustificari ergo debuit dicta Obedientia per Iudicem, ad quem, licèt supponatur reclusio; & licèt hoc non procederet ex iustitia tam manifesta, adhuc debuit fieri, casu quo positum esset in arbitrio Iudicis, ad quem.

284 Amenus dict. titul. vltim. numer. 163. propè med. *Debent tamen, quantum fieri potest*, (scilicet Iudex ad quem) *deferre honorem, & reverentiam Iudici, à quo, ne contemptibilis evadat apud subditos, & cæteri ausum accipiant ipsi insultandi, vt frequenter monet Bellus. Proinde favore Prælati, & regularis disciplinæ omnia indubitata sunt, sibi danda, nec est circumscribenda eius sententia, nisi appareat manifesta iniustitia.*

285 Ex non assignata Obedientiæ (vocemus reclusionem) causa, neque nullitas præcepti, neque gravamen inferri potest; quia quamvis assignatio causæ esset de iure, ex ipsa acceptatione sine petitione causæ maneret Obedientia iustificata, & valida, & Pater Victoria esset, sub peccato mortali, necessitatus ad obediendum. Exemplo rem declaramus: In appellationibus ab interloquutoria, de iure necessaria est causæ expressio: ex cap. 1. de appellationib. in 6. ibi: *In quibus appellationis causam exprimet.* Tiraquelus, de iure mariti, Gloss. 6. num. 120. Rebufus, in tract. de nominatione quæst. 47. num. 37. Barbosa ad caput 1. de appellationibus, in 6. num. 3.

286 Hoc tamen non obstante, si Iudex consentiat, & deferat appellationi, vel illam acceptet, sine eo, quòd in illa exprimatur aliqua causa; appellatio tenet. Passerinus, Tribunal. Regul. quæst. 32. numer. 9. ibi: *Et si Iudex deferat appellationi factæ sine causæ expressione, valet, & devoluit*: Ergo talis Obedientia sine expressione causæ, cùm acceptata fuerit, valida erit, & non gravabit. Ex numer. 133. consentienti enim nulla fit iniuria, maximè cùm non sit certum in Iure, quòd ad dictum præceptum (dato, quòd sit reclusio) necessariò sit causa exprimenda, vt abundè probatum manet à num. 127. vsque ad num. 133.

287 Quibus addo expressam doctrinam Passerini testificantis de vniversalissima praxi totius Orbis. Sic enim habet in suo Regular. Tribunal. quæst. 20. num. 67. ibi: *Dico igitur, quòd in foro fori, stante praxi, nunc vniversalissima totius Orbis, in iudicandis causis, Iudex non tenetur ante carcerationem subdito reddere causam suæ carcerationis; sed sufficit, quòd habeat indicia sufficientia ad illum carcerandum; nec debet hanc causam reddere ante carcerationem; quia hoc non serviret, nisi ad præiudicium causæ. Ideò, si subditus in hoc casu nolit obedire, debet illum compellere, & si fugiat, illum citet, & per viam contumaciæ procedendo, illum damnet, si non reddit, & se præsentat.*

288 Nulla exprimitur causa in Obedientia, numer. 44. relata, neque Reverendissimus

mus P. illam reddere debuit ex dictis à num. 127. vsque ad num. 137. Sed cùm ex Informativo constructo ante Capitulum Provinciale (quem debuerunt diligenter inspicere Reverendi PP. Consultores, vt suum votum fundarent) constet de legitima, & vera causa, species est temeritatis causam præexistentem, & veram relinquere, & fictam, & falsam causam quærere; cùm sit ex regula: *Quod omnis causa præsumpta cedat vera causa.* Leg. *Nuptura filia*, ff. *de* Iur. dotum. Leg. final. in princip. ff. *Quod metus causa.* Monach. decis. Florentiæ, num. 49.

289. Nec congruit æquitati doctissimorum Consultorum causam Obedientiæ inquirere, assentiendo Patri Victoriæ in causa simulata, quando non solùm vera ex antecedenti Informativo constabat; sed etiam, quia casu quo ex ipso non resultaret, illam à Reverendissimo P. Commissario Generali postulare debebant, quia illi extrajudicialiter innotescere potuit. Amenus in Practic. Criminal. tit. 3. *Canones circa recursum.* §. 19. num. 51. Sanctorus, de pœnis, cap. 26. vers. *Respondeo*, pagin. 342. Et iustissimum erat illam à Reverendissimo P. Commissario Generali quærere, priusquàm Reverendissimi deliberationem immodestis verbis, quæ à religiosa ratione maximè aberrant, notarent.

290. Propter dignitatem personæ asserunt reclusionis augeri gravamen; quam obiectionem dissolvimus, asserendo, quòd quando delicta gravia sunt, contra illos potest procedi, non solùm ad reclusionem, sed etiam ad carcerationem, vt patet ex num. 97. 98. & 99.

291. Idcircò (asserunt) Statuta Generalia (nullum citando, & debet esse ex cap. 7. §. 6, num. 81.) disponunt, quòd PP. graves, qui ob sua scelera carceris reclusionem in pœnam merentur; vt scandalum fugiatur & inconveniens, exilij pœna mulctari possint; quia, vt dicit Amenus, tit. 5. *Pœnarum genera*, §. 10. num. 5. citatum Statutum commentando: *Divulgata correctione Patris gravis, oriretur scandalum inter Sæculares.*

292. Allegatum Statutum hæc formalissima verba habet: *Verumtamen PP. graves, qui propter sua delicta notabilia merentur carceris reclusionem, ad evitandum scandalum, vel inconveniens, quod possit oriri propter hoc, exilij pœna possunt mulctari.*

293. Considerentur attentè Statuti verba ibidem: *Possunt mulctari*, quæ non denotant præcisam necessitatē; immò liberum arbitrium, & facultatē indicant. Leg. *Sæpè*, cum ibi notatis, ff. de Offic. Præsidis. Et in Leg. 1. ff. *Quomodo, & quando Index*: Et ibi Glossa, verb. *Possit*: Et in Cap. *Statutum*, de rescript. Præcipuèque procedit, quando verbum *possit* affirmativè profertur; sicut in nostro Statuto. Castillo, lib. 2. controvers. cap. 30. num. 41. Morla in Emporio Iuris, part. 1. tit. 2. in Prælud. num. 18. Rota, decis. 329. num. 3. part. 2. recentior. vbi resoluit, *quòd verbum*, possint, *affirmativè in Statutis, & rescriptis conceptum, meram facultatem importat.*

294. Et, ad summum, tale verbum diceret arbitrium boni viri. Ex Barbos. dictione 268. num. 2. Et est idem, quod in terminis Iuris dicunt Regulares, in puncto carcerationis, de gravibus Patribus; iuxta doctrinam Passerini, Tribunal. Regular. quæst. 21. artic. 3. num. 17. *Hoc est de consilio, & non de rigore Iuris; & quòd relictum sit Iudicis arbitrio, quando carcerandus est Pater gravis.*

295. Nec verba Constitutionis, nec auctoritas Ameni alio modo intelligi possunt; quia iste in Practic. Criminal. titul. 19. *Reus* §. 2. num. 6. relatus num. 97. ait; quòd si fortè Religiosus in Religione est potens, & magnæ auctoritatis, & concurrit suspicio, quòd ille in libertate sua manendo, deterreret testes, aut iuridicas depositiones impediret, antequàm delictum sit semiplenè probatum carcerari potest. Cùm autem omnia hæc concurrerent in casu nostro, cùm extaret qualitas delicti, & daretur suspicio de persona Patris Victoriæ, & etiam delictum plusquàm semiplenè esset probatum, potuit P. Victoria carcerari, licèt Pater gravis esset.

296. Verumtamen nec Pater Victoria fuit carceratus, neque reclusus, sed tantùm iussus præcepto obedientiæ regularis Conventum Alonensem habitare, cum potestate adeundi in Civitatem; & hoc carcer non est: quia, vt Religiosus dicatur carceratus, necesse est,

est, non solùm quòd sit reclusus in aliquo loco stricto, sed etiam, quòd talis locus obseratus de foris sit. Amenus, tit. 5. *Pœnarum genera*, §. 4. num. 22. ibi: *Infertur ergo ex hoc, quòd si aliquis Religiosus iubeatur ire in propriam cellam, seu aliam cameram Conventus, & etiam in cameram carceris, & iubeatur ab illa non egredi, nullo tamen modo potest dici carceratus, si locus, in quo manet, clausus de foris non sit: quia deficit substantialis forma carceris, putà, obseratio.*

297 Concordat Sanctorus, de pœnis, cap. 4. in init. fol. 132. ibi: *Ex quo infero, eum, qui per Obedientiam in aliquo loco non clauso contineretur, etiam forma habitus detracta, non posse dici carceris pœna coërcitum; quia de essentia carceris est obseratio; quia antiquis locus, etsi clausus, carcer non erat, nisi etiam vincula corpori adhibita fuissent.*

298 Et pagin. 133. idem Sanctorus, ex Leg. 1. §. *Subvenitur*, ff. *Ad Turpilianum.* hæc habet verba, ibidem: *Saltèm si nunc hæ circumstantiæ non sint necessariæ ad rationem formalem carceris, negari non potest, non esse carcerem eum locum, ex quo quis exire possit quando libuerit.*

299 Neque potuit dicta Obedientia vocari reclusio; quia hæc intelligitur sub nomine carceris Claustralis; & ad hoc vt reclusio sit, necesse est, quòd omnis egressus à Conventu sit prohibitus Religioso, nisi ob Conventus necessitatem. Amenus, tit. 5. §. 10. quæst. 50. commentando Statutum Ordinis, ex cap. 7. §. 6. num. 81. ibi: *Exilij pœna mulctati suam vnusquisque repetat Provinciam, & in compensationem sublati exilij, subeant pœnam reclusionis in Conventu.*

300 Hæc habet verba: *Ex hoc autem Statuto evidenter habetur, quòd adempta est Diffinitorio facultas indicendi pœnam exilij; & eius loco succedere debet carcer Claustralis, quòd scilicèt Reus Claustra Monasterij non egrediatur, nisi ob necessitatem Conventus, puta; vel ratione Processionis publicè facienda, vel associandi cadaver ad sepulturam, vel quæstuationis gratia, casu quo Superior alium non haberet, quem commodè posset mittere.*

301 Patri autem Victoriæ ex Regulari decreto Obedientiæ, vt ex illo constat num. 44. expresse concessa fuit facultas egrediendi Civitatem Alonensem, vt fecit quotiescumque voluit, & illi bene visum fuit. Ex quo evidenter sequitur, dictam Obedientiam neque fuisse carcerationem, neque reclusionis præceptum.

302 Et tandem, quia Pater Amenus loco citato à Consultoribus in suo Voto consultivo, non loquitur de carcere, seu reclusione ad custodiam, sed de carcere in pœnam delictorum designata, ibi: *Quòd ergo carcer cum istis in exilium commutetur, causa finalis, & ratio est, conditionis dignitas in PP. gravibus, ob quam turpe est, illos, sicut cæteros, carcere mancipari in pœnam.* Et paucis interjectis, ibidem: *Quare resolvendum est, quòd cum Patribus gravibus absolutè Statutum illud servandum est, & pœnam carceris esse in pœnam exilij commutandam.*

303 Hæc doctrina non habet locum, quando carcer non infligitur per sententiam, hoc est, in pœnam, & solùmmodo adhibetur pro custodia, vt eruditè resoluit Sanctorus, de pœnis, cap. 30. vbi adducit Statutum, quòd *Patres Ordinis, aut qui Ministri Provinciales fuere, vel eorum privilegijs gaudentes, à Superioribus Provincialibus, & Commissarijs Officio privari, vel ad notabilem aliquam punitionem, aut confusionem subeundam cogi non possint, nisi de consilio, & consensu maioris partis Patrum Provinciæ.* Ex cap. 7. Statutorum, §. 5. num. 36.

304 Super quod Statutum Sanctorus, loco citato pag. 402. versic. *Pro complemento.* hæc scribit: *Ex qua doctrina, quæ est in praxi, & communissima, deducitur, posse Provincialem carcerare aliquem Patrem, iuxta regulas Practicæ criminalis, tit.* Carcer, *quando scilicet Reus esset de fuga suspectus, quia licèt confusio sit aliquem carcerari, ea tamen non infligitur per sententiam, & non expedit petere consilium, aut consensum de carcerando aliquo, quando periculum esset in mora, atque adeò Iudex tutè procederet, quia carcerandum ad fugam instrueret.*

305 Ex his demonstrativè concluditur, Rmum P. Com. Generalem iustissimè processisse ergaP. Victoria; operationi enim illius nec Statutũ Ordinis, nec doctrina Ameni repugnat; quia nec P. Victoriam carceravit, nec reclusit, nec datũ fuit iudiciale decretum per sententiam; & quia Obedientia illi data valdè consona est cũ Statuto Generali, & doctrina P. Ameni; quia Rmus lenitate vtens tantummodo Conventualitatem in Conventu Alonæ illi dedit, cùm expressa facultate Civitatem visendi, & hoc, vt plurimũ, exilium existimari potuit. L. *Exilia*, ff.

ff. de interdictis, & relegat. ibi: *Exilium triplex est; aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, vt omnium locorum interdicatur, praeter certum locum; aut Insulae vinculum, idest, relegatio in Insulam.* Videatur Amenus, tit.5. §.10.num.49.

306 Hac dispositione processum fuit, vt aditus ad Saecularium scandala praecluderetur; quia, vt dicit Amenus, dict. loco num.51. ibidem: *Scandalum vero cessaret, si talis Pater gravis mitteretur in exilium; hoc enim posset apud saeculares colorari.* Et nullo alio praetextu simulari poterat commodiùs, quàm assignando P. Victoriae Conventualitatem in Alonensi Conventu, vbi celebratum erat Capitulum, & publicare potuit, se spontaneè dictum Conventum elegisse, aut ibi mansisse propter emergentia negotia; neque novum, & mirum videndum foret, cum Civitatem quotidie deambularet. Si autem hoc factum non est, & P. Victoria publicavit, se esse carceratum, aut reclusum, gravamina allegando, & contra honorem debitum Patri Rmo falsa publicando, non ex hoc gravamen infertur.

307 Nec quia Obedientiam exilium vocari posse diximus, sentias, P. Victoriam gravatum, ex non assignata causa. Primò, quia non dicitur absolutè exilium, sed quòd posset videri exilium: sed revera regularis Obedientia fuit. Secundò, quia licèt esset exilium, non erat datum in poenam, sed ad praecavenda mala imminentia, nempe, testium subornationes, & alia huiusmodi, Iustitiam impedientia. Tertiò, quia, vt abundè manet probatum, in his dispositionibus causa non debet dari, & ad plurimum, tantùm casu quo petatur. Quartò denique, quia licèt esset exilium, esset impositum extraiudicialiter, & oeconomicè, redolens medicinam, non poenam: Nec debet assignari causa; quia Reges nullam imponere possunt poenam Clericis, & quando interest paci publicae, à suo expellunt Regno. Solorçanus de Iur. Indiar. lib.3.cap.27.num.21.

308 Si enim tale praeceptum revera esset exilium, cùm non esset datum in poenam, nec iudicialiter, nec per sententiam, nec per sententiam adhuc in foro Paterno, nullà aderat necessitas, nec obligatio assignandi causam, quia expressio causae tantùm necessaria est in indicenda poena per sententiam imposita, tàm in foro Iudiciali, quam Paterno; & haec est vera mens Patris Ameno, tit. enim 18. num. 20. haec habet verba, ibi: *Nunquam indicenda est alicui poena, nisi antè exprimatur culpa, ob quam indicitur. .... Et vniversaliter omnis sententia condemnatoria continere debet expressè crimen cuius causa iniungitur poena. ... Licèt ergo hoc sit in foro Iudiciali, tamen debet suo modo servari in Paterno.*

309 In versiculo *Ex eodem*: dicunt, reclusionem in homine tanta decorato dignitate carceri aequiparari, adducentes Amenum, tit. 5. §. 10. num. 53. Sed Amenus citato loco, nec verbum de hac materia habet. Etiam allegant Peyrinum, de subdito, tit.1. quaest. 1. cap.13. versic. *Dic.* Et notari debet, Peyrinum libros à se editos, non in titulos, sed in quaestiones, & capita dividisse; ideò debuerunt dicere tom.1.de subdito.& in toto cap.13. citato tantùm posteriorem versum inveniri, qui incipiat *Dico secundò*, in quo non tractat differentiam inter carcerem, & reclusionem, neque aequiparando, neque non: Immò, neque in dicto versiculo, neque in toto capite citato, invenitur nomen reclusionis.

310 Causam similitudinis inter carcerem, & reclusionem stare dicunt, quia carcer species est servitutis, quae inducitur, non solùm *ex detentione sub clavibus*, sed etiam ex privatione libertatis *egrediendi ad suum libitum*; quod Cyriaci doctrina corroborare conantur, controvers. forens. tom.1.controv. 172.num.48.

311 Hic locus Cyriaci minimè ad rem nostram facit. Primò, quia controversia circa laicos versatur; quibus est facultas exeundi quotiescumque velint; sed inter Religiosos, qui claustra deserere absque Praesidis facultate non possunt, in copilatis cap.6. §.7. vers. *Vt omnes*, & vers. sequenti; Ideò nec carcer, nec reclusio dici potest praeceptum non exeundi sine Superiorum licentia, ad quod tenentur ex Obedientiae voto, L. 19. C.de Episcop. & Cleric. ibi: *Qui in Monasterio degunt, potestatem ibi exeundi ne habento.* L. 1. & 2. C. Theodosian. de Monachis. Concilium Chalcedonens. cap. 4. Latè Gonçalez Tellez, ad text. in cap. final. de Regularib. num.6.

312 Deindè, quia Cyriaci doctrina, dict. controv. 172. Loquitur de carcere priva-

to,

to,& ait sic appellari quando persona aliqua detinetur, egressum illi prohibendo tyrannicè,& violenter: loquiturquè in specie de muliere, quæ sub custodia armatorum diurna, & nocturna ferè per annos sex in domo detinebatur.

313 Veritas enim carcerationis consistit in facto, non in ficto. Amendola, in additionibus ad Franchis, decis. 415. Antonius Sabelli, Summa diversor. tractat. verbo *Carcer*, num. 4. vers. *Quòd detentus*. pag. 183. Ex quo, si Prælatus aliquem Religiosum mitteret in cellam, & præciperet, nè ab illa eo inconsulto exiret, non posse talem dici carceris pœna coercitum; quia de essentia carceris est obseratio, & quòd privet physicè libertate exeundi, qua tamen talis Religiosus privatus non est, cùm à cella posset physicè egredi tunc tamen haberetur cella pro carcere, quando simul tali Religioso vincula corpori adhibita fuissent, ita vt non posset exire è cella. L. *Succurritur*. ff. *Ex quibus causis*. Clarus, quæst. 46. initio. Frater Antonius à Spiritu Sancto, director. Regular. tract. 4. disputat. 3. section. 12. à num. 41. vsque ad num. 43.

314 Denique Amenus non æquiparat hunc casum carceri, sed neque æquiparat illum reclusioni; immò ex doctrinis ipsius colligitur contrarium, ex notatis n. 274. & 278.

315 Et adhuc procedit in reclusione strictissima; vt si Prælatus iuberet alicui Religioso, nè è cella egrederetur, si ostium non obseratur, carcer minimè dici potest; & tamen est stricta reclusio: Ergo sententia Ameni est, strictissimam reclusionem in cella non æquiparari carceri.

316 Locus Ameni est ex tit. 28. §. 1. num. 10. ibi: *Conceditur ergo omnibus Superioribus localibus, posse præcipere alicui ex suis Fratribus, ad eum puniendum de aliquo defectu, nè ex cella exeat, dummodo rationabilis causa subsistat. Notandum hic, quòd de ratione formali carceris est obseratio, ita vt carceratus dicitur, qui ita reclusus est in aliquo loco seris, & vectibus munito, vt egredi nequeat: Sequitur ergo, quòd non dicitur carceratus subditus iussus à Guardiano nè è cella exeat: Sequitur pariter, quòd non potest Guardianus ita de foris ostium cellæ, in qua sequestratus est subditus, obserare, quominùs exire possit si vellet: hoc enim non conceditur, & talis reclusio esset carceratio.*

317 Ex dictis evidenter sequitur, quòd Amenus, principalis Author in Consulto allatus, non solùm non æquiparat carceri reclusionem Conventus, sed neque reclusio in cella carceri æquiparatur. Cùmque Pater Victoria in Conventu reclusus non esset, cùm haberet libertatem Civitatem exeundi, sicut cæteri Religiosi habent, cùm effectuquè exivit toties, quotiès voluit; adhuc cum toto facto ficto contrariatur Amenus resolutioni Consultorum.

318 Authoritas Peyrinis magna est, sed ad intentum, nec verbum habet; quia in toto capite à Consultoribus citato non invenitur nomen reclusionis, nec æquiparationis. Immò quamvis Obedientia Patri Victoria data, esset reclusio, aut carcer ad custodiam, approbata maneret ex ipsa doctrina Peyrinis, iuxta text. Trident. Sesion. 25. cap. 6. de Reformat. Verba Peyrinis sunt sequentia: *Triplex est carceris genus: primum est in pœnam criminis; secundum est ad custodiam, ad quod, licèt non requiratur plena informatio delicti, nunquam tamen adhiberi potest, nisi fuerit Reus de culpa valdè suspectus. Vnde Tridentinum Sessione 25. cap. 6. de Reformat. præcipit Iudicibus Ecclesiasticis, vt in omnibus criminibus semper ea ratio habeatur, & iuxta qualitatem delicti, & personarum, delinquentes loco decenti custodiantur.*

319 Iuxta citatam doctrinam Peyrinis, debent asserere omnes, licèt à passione possessi, Reverendissimum Patrem Commissarium Generalem prudentissimè, & benignissimè processisse; attenta enim qualitate delicti, & personæ, cum reflexione ad probationem plusquàm semiplenam ex Actis resultantem, carcerem decentissimum (si talis Obedientia vocari potest, adhuc materialiter, carcer) Patri Victoriæ assignavit, ipsum detinendo in Conventu Alonæ cum facultate exeundi non solùm in Civitatem, sed extra illam, per loca nempè illi adiacentia; totum enim hoc includebatur, & includitur nomine Civitatis in Obedientia assignata. Menoch. de Arbitr. Casu 155. Rota in Burgensem

N præmi-

præeminentiar. 8. Februar. 1677. coram Bourlemont. Ead. Rota, part. 17. recentior. decis. 188. Antonius Sabelli, Summa diversor. tractat. tom. 1. pagin. 119. numer. 35. ibi: *Appellatione Civitatis venit etiam territorium.*

320 Et nè in hac materia scrupulus maneat; cùm certum sit ex ipso facto, Obedientiam, P. Victoriæ datam, non continere nisi nudam assignationem ipsius in Conventu Alonæ, cum prohibitione non exeundi extra limites Conventus, qui quidem sunt limites Civitatis (omnia enim questæ loca continentur in territorio Civitatis Alonensis) clarè convincitur, neque esse carcerem, neque reclusionem. Sanctorus, de pœnis, cap. 19. pagin. 250. ibi: *Hinc triplex carceris acceptio reperitur: prima, in qua delinquentes arctè custodiuntur; secunda, Rei consignantur à Prætoribus domi custodiendi, quæ custodia nobilibus, & divitibus concedi solet; tertia, quando Civitas pro carcere datur; & hac vltima acceptio æquivocè carceris nomen obtinuit, quia ille non videtur in carceribus esse, qui, quò vult, ire potest.*

321 Idem defendunt Decius, cons. 229. numer. 5. & Gozadinus, cons. 9. numer. 16. Hæc doctrina magnam meretur reflexionem, illam comparando, & componendo cum Obedientia Patri Victoriæ data, & iuxta illius modificationem; & possunt iudicare Docti, an facultas hæc, & libertas exeundi compatibilis sit cum reclusione Religiosa, in qua negatur omnis voluntarius, & particularis egressus; aut cum carcere, adhuc materialiter sumpto, nisi valdè improprijssimè; & etiam, si verba Consulti illi quadrant, dictam Obedientiam carceri æquiparando *ex privatione libertatis egrediendi ad suum libitum*; nisi casu quo Pater Victoria tam independens considerari velit ab Obedientia suorum Prælatorum, vt non indigeat illorum beneplacito, vt ad Civitatem possit egredi: adhucquè hoc dato, quòd minimè affirmabunt, adductę in Consulto doctrinæ nihil probant.

322 Sed assentiendo pro nunc Consultorum placito, affirmo cum illis, illam Obedientiam esse reclusionem, & quòd reclusio æquiparatur carceri, non quia reclusio carcer sit, nec tale nomen inter Regulares obtineat, sed propter aliquam similitudinem, propter quam valdè impropriè potest appellari carcer ex traditis à Passerino in Tribunal. Regular. quæstione 21. artic. 3. numer. 40. ibi: *Quia ex præcepto Iudicis sine aliqua custodia in aliquo loco detineantur, vt ab illo non exeant, non nisi valdè impropriè posse dici carcerati.*

323 Non solùm autem hoc est verum, sed etiam verum est, quòd carcer ad custodiam datus, non est carcer absolutè, nec sic vocatur. Passerinus, dict. articul. 3. numer. 13. ibi: *In præsenti sermo est de carcere dato ad custodiam, qui etiam propriè non est carcer, vnde carcerati ad custodiam non sunt propriè carcerati, sed separati, vel arrestati.*

324 Infertur ex hoc; quòd carcer in Consulto supposito in proprijssimè vocari potest carcer; quia cùm Obedientia fuerit data ratione detentionis & custodiæ, nè scilicet Pater Victoria Valentiam veniret, & testes impediret, aut deterreret, adhuc Pater Victoria non erat clausus intra septa Conventus, immò habebat expressam facultatem egrediendi in Civitatem, & in Carmina; quod fecit, vt ex Informativo constat. Cùmque Statutnm, & citata doctrina Ameni non loquantur de carcere, dato ad custodiam, sed dato in pœnam, & non de carcere tam amplo, sed de strictiori, licèt vera esset doctrina Consulti, adhuc non maneret Consultorum resolutio probata.

325 In versiculo, *Neque prædictæ*, asserunt, iniustitiam reclusionis non removeri, cùm dicitur, dictum præceptum esse Obedientiam Regularem, & œconomicum temperamentum; formalitas enim adhibita in illius intimatione, nempè in scriptis per Actuarium, & coram testibus, hoc effugium enervat.

326 Hoc dictum non fulciunt Consultores, neque in textu aliquo, neque in autho-

authoritate alicuius Doctoris, sed neque adhuc in ratione aliqua levissima, & considerando, quòd intentio Rmi Patris Commissarij Generalis Fr. Antonij de Cardona esset, quòd de tali Obedientia data constaret authenticè semper & quando opus esset, cùm absque tali solemnitate facillimè negari posset; conveniens fuit, & fortè necessarium, ipsam notificare in scriptis per suum Secretarium Generalem, coram testibus, vt casu quo negaretur, probatio esset ad manum: & modò, cùm dicta Obedientia vocetur Decretum reclusionis, minimè poterat probari quid fuit Patri Victoriæ intimatum, si Obedientia absque tali solemnitate fuisset tradita.

327 Non allegant (inquam) textum, authoritatem, vel rationem: nihil enim est, quòd suum dictum confirmet. Scriptura enim non est de substantia rei gestæ, nisi quando Lex specificat, quòd fiat per scripturam; nam scriptura non est inventa, nisi vt res de memoria non pereat. Lege *Pactum.* de pact. & Leg. *Contrahitur*, ff. de pignorib. Gloss. in Cap. *Cordi nobis est.* de appellationib. in 6. in fin. *Casus.* Portel, tom. Casuum, Casu 21. part. 1. numer. 4. Frater Antonius à Spiritu Sancto, consult. 104. num. 30.

328 Et licèt alicubi cautum esset, Obedientiam Regularem non debere intimari per authenticam scripturam, hoc pertineret ad apices iuris, cùm nullus gravetur ex intimatione præcepti per scripturam solemnem, & authenticè, vt in simili tenet Frater Antonius à Spiritu Sancto, dict. consult. 104. numer. 36.

329 Potest afferri doctrina Ameni, vt dictum Consultor. probetur, titul. 18. quæst. 3. numer. 20. vbi ponit discrimen inter forum iudiciale, & Paternum, nempè: *Quòd sententia iudicialis in scriptis, paternaliter verò ore tenus tantùm est proferenda.* Hæc enim doctrina, neque est vera, neque ad intentum.

330 Non est vera, quia potest reperiri Processus iudicialis sine scriptura, vt optimè notat Rodriguez, tom. 2. quæstion. Regular. quæst. 14. articul. 3. versic. *Secunda via.* Vbi allegans Decretalem, in qua iubetur, quòd Processus iudicialis in scriptis redigatur, hæc habet verba: *Præfata Decretalis locum non habet in causis exiguis, & minimis; in his ergo sine scriptura standum est simplici Iudicis asserttone, vt in specie docuerunt Abbas, Immola, Felinus, Berolus, & ex communis.*

331 Deinde, quia licèt in casibus, in quibus secundùm ius & apices il-lius proceditur, sit de valore sententiæ, vt in scriptis proferatur, ex Cap. *Et si sententia.* de re iudicat. in 6. & etiam, quòd in scriptis recitetur, vt cum Scacia tenet Peyrinis, in Formulario, Littera S. & capit. 3. numer. 4. At hoc non esse verum in iudicio Regulari. Pelizarius, tractat. 9. capit. 4. numer. 168. Lezana, tom. 1. cap. 27. numer. 18. Frater Antonius à Spiritu Sancto, in Director. Regular. tractat. 4. disputat. 3. Sectione 10. numer. 316. ibi: *In iudicio tamen Regulari, in quo proceditur de plano, postpositis apicibus iuris, non tenetur Iudex Regularis ferre sententiam in scriptis, sed etiam potest proferre, vel viva voce, vel in scriptis.*

332 Et licèt scriptura esset de substantia in omnibus causis, in quibus Prælatus vt Iudex procedit; non ex hoc infertur, quòd negatio scripturæ sit de substantia fori Paterni, cùm hoc, licèt cautum esset in iure, pertineret ad apices iuris, & non vitiaret forum Paternum. Frater Antonius à Spiritu Sancto, dict. consult. 104. num. 36. vbi postquàm negavit, quòd in Cap. *Qualiter, & quando.* de accusationibus 2. disponatur, quòd culpæ non dentur Reo in scriptis, hæc habet verba, ibi: *Dato tamen, quòd id diceret tale caput, tunc talis dispositio pertineret ad apices Iuris, cùm Reus non gravetur, per exhibitionem scripturæ, quando Lex præcipit, vt res fiat*

absque

absque scriptis ... quod non accidit, quando ius petit specialiter, quòd res fiat per scriptum; nam defectu scripturæ in tali casu posset esse nocivus Reo, eo quòd posteà argueretur de re, quæ in voce ei non fuit proposita.

333 Doctrina Patris Ameni non est ad intentum, quia Amenus ibi solùm loquitur de sententia Iudiciali, & Paternali, ibi: *Quòd sententia Iudicialis in scriptis, Paternaliter ore tenùs tantum est proferenda*: Obedientia autem intimata Patri Victoriæ, nec fuit sententia diffinitiva, nec interloquutoria data iudicialiter, aut Paternaliter; sed solùm fuit Obedientia Regularis, & temperamentum œconomicum cum dicta solemnitate intimatum ad faciendam fidem in posterum, si opus esset. Et hoc non est contra substantiam fori Paterni, & charitativi, quia, iuxta Evangelium, de correctione fraterna adhibentur testes. Matthæi 18. numer. 16. *Adhibe tecum vnum, vel duos testes.* Et ibi scripsit Euthimius, *Quòd adhibentur testes, vt testibus constet, illum, qui corrigit, suo fuisse functum officio.* Expresè ad nostrum intentum Sylveyra, tom. 4. in Evangel. lib. 6. cap. 11. ad illud Matthæi 18. numer. 16. ibi: *Hunc numerum testium assignat Christus, ad faciendam plenariam fidem, quòd delinquens noluit se corrigere, idque Ecclesiæ attestentur.*

334 Deinde ex cap. 2. Statutor. General. numer. 18. hoc idem habemus. Ibi enim dicitur, quòd nemini liceat prætextu cuiusvis licentiæ extra Conventus, vel Provinciæ limites egredi, nisi priùs Provinciali, Generalis; & Superiori locali, Provincialis licentiam ostendat: Si autem negotium vrgeat, disponitur, ibi: *Tunc Superiori locali Obedientiam ostendat coram testibus.* Ad quid testes? Estnè hic actus iudicialis? Minimè: sed testes adhibentur, & etiam scriptura, vt constare possit, subditum ostendisse licentiam suo Prælato locali. Sanctorus, de pœnis, cap. 9. pagin. 400. vers. *Respondeo quintò*, ibi: *Hoc non est additum tanquam forma actus, sed tanquàm cautela; & scriptura non est necessaria, nisi ad faciendam fidem.* Ergo tota solemnitas intimationis Obedientiæ subsistere potest absque actu iudiciali. Et re vera actus iudicialis non fuit, quia tota dicta solemnitas adhibita fuit, vt authenticè posset constare de præcepto imposito, & hoc non esse actum iudicialem, ex eo convincitur, quia Reges, licèt nullum actum iudicialem possint exercere in Ecclesiasticos, tamen iuridicè, & solemnitèr illis intimatur præceptum à Regno exeundi, per potestatem œconomicam.

335 Demum, quia, si Pater Reverendissimus in substantia Obedientiæ datæ non gravavit Patrem Victoriam, propter formalitatem notificationis, non potest gravatus considerari. Frater Antonius à Spiritu Sancto, tom. 4. consult. 110. numer. 30. & 31. vbi in specie casus relati, dicit, Provincialem non gravare Priorem propter manifestationem culparum in scriptis in Generali Visitatione, &, dans rationem, dicit: *Ergo quòd culpæ manifestentur Reo, sive per scriptum, sive sine illo, tam in Visitatione Generali, quàm speciali, id per accidens est, & non pertinet ad substantiam rei gestæ, nec aliquod gravamen affert Reo.*

336 Et si objiciatur illi, quòd in illa manifestatione culparum in scriptis excedit Provincialis modum in Religione vsitatum, in qua culpæ in Generali Visitatione dicuntur ore tenùs: Respondet idem, quod nos dicimus de Obedientijs, quòd aliquando intimantur coram testibus, licèt frequenter hoc non fiat, quia necessarium non videtur; attamen per accidens se habet respectu Obedientiæ datæ, & non mutat substantiam illius.

337 Hæc sunt verba Fratris Antonij de Spiritu Sancto, dict. consult. 110. num. 32. ibi: *Respondetur, negando, Provincialem excessisse modum vsitatum in Religione; nam in Religione in Visitatione Generali & dantur articuli culparum viva voce, & in scriptis. Deinde, dato, quòd semper darentur viva voce, non proinde dici potest, Provincialem excessisse modum vsitatum in Religione substantialem in Visitatione; siquidem, vt suprà diximus, quòd cul-*

culpæ dentur in scriptis, vel viva voce, non pertinet ad substantiam visitationis.

338 Satisfactio evidens fit; quia casu negato, quòd aliquis excessus esset in modo notificandi dictam Obedientiam; adhuc non potest verificari excessus in modo pertinente ad substantiam illius Obedientiæ: & quando excessus non est in modo rei, sed tantùm in modo dandi, vel intimandi rem, non datur gravamen, quia nulla sequitur infamia, nec est locus appellationi. Fr. Antonius de Spiritu Sancto dict. consult. 110. n. 35. ibi: *Cuius ratio est, quia excessus in corrigendo potest maximè infamare Reum, non verò diversus modus dandi articuli culparum.* Ac si clarè diceret: excessus in præcepto potest gravare Subditum; non verò excessus in modo intimandi præceptum, licèt sit diversus à modo consueto, neque per illum excessum, & modum accidentalissimum potest extrahi Obedientia à limitibus regularitatis, & temperamenti œconomici.

339 In eodem versiculo sic scribunt: *Et tantò magis interveniente vera reclusionis causa.* Hanc veram causam affirmant fuisse odium à sua Rma Paternitate contra P. Victoria conceptum, ex motivis suppositis in suo facto somniato; & quòd causa præsumpta (dicunt) non habet locum, attento tempore intimationis Obedientiæ, nempe die 2. Novembris 1696. post omnes electiones Capitulares.

340 Vel P.P. Consultores viderunt Processum, & Acta Iuridica contra P. Victoria formata à die 9. Octobris vsque ad diem 25. eiusdem mensis, & anni 1696. vel non? Si non viderunt; magna cum cæcitate, & maiori nullitate votum suum dederunt, assignando veram causam Obedientiæ, quam assignant, vt probatum manet à num. 214. vsque ad num. 217. Si viderunt Processus, & Acta; nescio quomodo resultando ex illo, & ex illis vera, & genuina causa Obedientiæ, nempè diffamatio incontinentiæ, & criminis particularis in illa specie, dicunt, causam Obedientiæ esse aliam, & hanc vocant præsumptam, cùm sit realis, & vera.

341 Proposueram non egredi limites decentiæ, & vrbanitatis; sed re vera iudico, me non deficere ab hoc proposito, cùm ipsa verba Consulti contra ipsos Consultores redarguo; illorum enim malus animus convincitur, & votum Consultivum processisse ex malo Consulentium animo contra Rmum P. Comm. Generalem, quod illorum malevolentia convincitur ex ipso textu Consulti.

342 Patescitque notoriè malus animus, calumniam contra Rmum Patrem obijciendo, considerato tempore notificationis Obedientiæ, secunda nempe die 16. Novembris, qui fuit dies immediatus post Capitulares Electiones, & antequàm Rmus Pater à Conventu Alonæ egrederetur. Et adverto: quomodo absque cæcitate malitiosa affirmare possunt malum animum in Rmum Patrem ex tempore intimatæ Obedientia? Numquid malus illius animus erga Patrem Victoria deprehenditur ex eo, quia cùm posset Capitulum celebrare die 27. Octobris, prout convocatum erat, distulit vsque ad diem sequentem 28. vt Pater Victoria privilegijs Patrum Provinciæ frui posset, cùm hæc esset dies adimpletionis biennij physici? Numquid malus illius animus convincitur, quia cùm posset Patrem Victoria ante Capitulum carcerare, & à voto excludere, vt probatum manet à num. 74. vsque ad num. 85. illum non carceravit, nec à voto exclusit, nihil innovando, quovsque omnes Electiones Capitulares terminatæ fuere? Ex hoc enim potiùs benevolentiæ, & amicitiæ signa ostenduntur, quàm malus animus convincitur.

343 Si autem propter dicta non convincitur Rmi malus animus, solùm manet pro causa; quòd cùm esset conveniens, quòd P. Victoria Alonæ maneret & Rmus P. Comm. Generalis egressurus esset die 3. Novembris, intimatio Obedientiæ præcisè debuit fieri die 2. & ante egressum suæ Rmæ P. in qua etiam declaravit, Obedientiam Patri Victoriæ datam, esse Obedientiam regularem, & temperamentum œconomicum: sed neque in hoc malum animum conspicio, cùm sufficeret hæc Rmi declaratio ad hoc vt Obedientia P. Victoriæ data haberetur pro Obedientia regulari, & nullam illi inferret infamiam, aut gravamen.

344 Licèt enim illa Obedientia præceptum reclusionis includeret, posita Rmi.

P. declaratione, scilicèt, tale præceptum esse Obedientiam regularem, & temperamentum œconomicum, revocatum erat præceptum reclusionis, repositumquè gravamen; & per consequens, non poterat P. Victoria sub prætextu illati gravaminis recurrere, sed nec adhuc appellare, quia iam repositum erat gravamen per declarationem, casu, quo esset. Lancelotus Robertus, de attentat. part. 2. cap. 12. limitat. 1. n. 13. & 14.

345 Revocatio enim sententiæ vel præcepti potest fieri, vel expresè revocando, vel etiam revocando tacitè; & in vtroque casu reponitur gravamen. Salgado de protectione Regia, part. 1. cap. 5. num. 17. ibi: *Doctrina hucvsque comprobata, procedit non solum, quando Iudex expresè revocavit, sed etiam, quando tacitè.* Licèt enim in præcepto Obedientiæ includeretur reclusio, revocatum fuit tale præceptum reclusionis, saltèm tacitè, per illam explicationem, & assertionem Rmi. scilicèt, quòd erat Obedientia regularis, quæ cum decreto reclusionis stare non potest.

346 Videamus nunc ex ipso facto Patris Victoriæ nostrum intentum probatum, & nullitatem sui recursus. Timuit Pater Victoria, quòd in Obedientia illi intimata contineba-tur voti, seu suffragij privatio; in quo casu expresè sibi reservavit Iura appellationis. Sed quare non appellavit? Non alia ratione, nisi quia Rmus tacitè declaravit, dictum præceptum non includere privationem: Ergo, si Rmus explicat, præceptum intimatum esse Obedientiam regularem, quæ quia stare non potest cum præcepto reclusionis, inest tacita saltem declaratio, dictum præceptum non includere reclusionem: Igitur licèt in dicto præcepto includeretur reclusio, cessabat hæc, posita declaratione, & per illam repositum erat gravamen; & per consequens recursus fuit peccaminosus, quia factus à præcepto Obedientiæ regularis.

347 Et, si dicas, illa verba Rmi. videlicèt, *Esse Obedientiam regularum*, dicta fuisse fictè, adhuc non valet effugium: quia preterquàm quòd hoc malitiosissimum est; adhuc dato, quòd saperent fictionem, cùm essent prolata à potente facere quod dixit, verè effecerunt tale præceptum Obedientiam regularem, licèt sonarent verba in fictionem. Parisius Cons. 71. Consultat. absolut. num. 5. lib. 1. Castrensis, Cons. 6. colum. final. vers. *Cum igitur*, lib. 1. Barbosa axioma 97. num. 3. ibi: *Quando verba proferuntur ab eo, qui habet potestatem faciendi, licèt sonent in fictionem, tamen faciunt verè talem.*

348 Neque hæc declaratio fuit nova dispositio, sed ipsummet preceptum impositum, & intimatum, L. *A se toto*, ff. de hered. instituend. L. *Vnum ex familia*, §. *Si de falsid.* Romanus, cons. 482. Cardinal. in cap. final. versiculo, *Si verò disponit*, de Constitutionib. Salgado de Regia protectione, part. 4. cap. 12. num. 29. ibi: *Generaliter hæc est qualitas, & natura huius declarationis interpretativè vt nihil novum inducat, nec declarans nullum actum de novo disponat, sed factum præexistentem, & præteritum ostendit.*

349 Qua propter, ex ipso effectu deprendere debuit P. Victoria, an præceptum illi intimatum esset Obedientię Regularis, vel præceptum reclusionis: petendo scilicèt licentiam à P. Guardiano ad se conferendum in aliquem ex locis intra limites Conventus, quia si hæc denegaretur sub pretextu reclusionis, præcepti habebat intentum, & contra illum apud Reverendissimum, suam querelam dare potuit, cùm Rmus esse Obedientiam regularem affirmaverit; sed si hoc non fecit, ex quo motivo potuit dicere, Obedientiam esse preceptum reclusionis, cùm Rmus declarativè dixisset, esse tantùm Obedientiam regularem, & declaratione illius standum erat? Iudex enim suam sententiam potest declarare. Rotta decis. 100. Salgado de protectione Regia, part. 4. cap. 12. num. 25. Examinentur hæc cum reflexione, & Consultorum manifestus error deprendetur, sentiendo, præceptum esse reclusionem, cùm nec nomen, nec substantia reclusionis in toto præcepto inveniatur, & non esse Obedientiam regularem, sicut Rmus P. Comm. Generalis expresit, & declaravit.

350 Vt omnis evitaretur infamia, & gravamen, quod à præcepto reclusionis poterat oriri, dato quòd Obedientia esset reclusio, sufficiens erat tam aperta Prelati declaratio, nempè, tale præceptum impositum, *esse solum Obedientiam regularem*; stante enim hac declaratione regularis Obedientia censenda erat, & per illam ablata manebat omnis infamia, & repositum gravamen reclusionis, illamque nullo modo P. Victoria recussare poterat, nec ab illa appellare minùsque personaliter recurrere.

Ex-

351 Expresè Amenus in Pract. Criminal. tit. 3. *Canones circa recursum*, quest. 2. num. 87. ibi: *Si autem Superior iniungit pœnitentiam, & declarat, se non ob culpam aliquam, sed tantùm ad virtutum incitamentum illam iniungere, nullo potest modo Subditus illam recussare, quia sibi nulla potest per hoc irrogari iniuria, nec infligi gravamen, à quo legitimè posit appellare.*

352 Cùm autem ex nullo capite posit malus animus Rmi deprehendi, fatendum necesse est, quòd Author Consulti fictus, talia verba liberè protulit, vt Patri Victoriæ complaceret, eo quòd suspicionis causæ, sine causa contra Rmũ prolatæ procedunt ex occulta animositate illius contra Rmum P. Comm. Generalem nullo alio prætextu, nisi vt fama Rmi P. Comm. denigraretur; quod à gravissima culpa nescio quo modo excussari potest.

353 Amenus, in Pract. Criminal. tit. 2. §. 3. num. 55. ibi: *Aliter, si Reus ob imaginatam suspicionem sibi timeret, & ob hanc recussaret Iudicem, aut* (quod gravius est) *fingeret sibi hostem, quem feriret; aut ad protelandum Iudicium, aut ex occulta ipsius animositate contra Iudicem; peccaret mortaliter, quia iniustè infamaret iudicem in re gravi.*

354 In versiculo, *Cum ergo*, supponunt Consultores, non posse iustificari præceptum reclusionis ex aliqua rationabili causa; ex quo falso principio inferunt, iniustè fuisse gravatum P. Victoria: *Et quòd impunè potuit spernere præceptum.*

355 Hoc principium suppositum refutatum manet, ex eo quod constat ex Informativo, & ex adductis in secunda parte, causam reclusionis esse præexistentem ad Capituli celebrationem, hæcquè tam gravis erat, vt sufficiens esset, non solùm ad recludendum, casu quo Obedientia data, fuisset reclusio, sed etiam ad carcerandum ad custodiam.

356 Et, dato quòd Obedientia esset reclusio, & causa non tam gravis; gravamen reclusionis leve censendum est, quia reclusio in Religione datur propter culpas leves. Rodriguez tom. 2. quæstion. Regular. quæst. 22. art. 7. ibi: *Licèt tamen hæc quoad Sæculares locum habeant, quoad Regulares non ita procedunt; quia cùm habitationes eorum sint Monasteria, possint in ipsis recludi pro delictis non gravibus.* At pœna vel pœnitentia gravis non potest dari propter culpas leves. Ex Ameno tit. 3. num. 93. in fine: Dicendum ergo erit, reclusionem in Religione non esse pœnam gravem, sed levem.

357 A pœnis autem levibus nullo modo datur appellatio apud Regulares, licèt excessus notorius sit, & manifestus. Suarez, de Religion. tomo. 4. lib. 2. cap. 11. Petrus ab Angelis in suo Ordin. Iudiciali, part. 1. cap. 17. num. 31. Fr. Antonius à Spiritu Sancto, Consult. 110. num. 39. & 49. ibi: *Regulares non possunt appellare à sententijs, quæ non afferunt gravem infamiam, & pœnas valdè rigorosas, etiamsi excessus clarus, & manifestus inveniatur in illis.* Concludendum igitur erit, quòd licèt Obedientia esset reclusio formalis, quæ re vera talis non potest dici, non fuit licitus P. Victoriæ recursus, cum talis pœna, casu quo esset, levis reputaretur, & non affert gravem infamiam.

358 Sed omitti non potest illa dissonans propositio: *Potuisse illius præceptum impunè spernere*; & etiam, quòd ad illius probationem adducant doctrinam Portel, in dub. regular. verb. *Obedientia*, in additionib. num. 2. Portel enim loco citato solùm resolvit, in Subdito non esse obligationem obediendi Prelato, quando præceptum influit in grave periculum, & præiudicium ipsius, vel alterius. Sed hoc non est dicere; *quòd posit Subditus impunè spernere præceptum Superioris.* Vbi loquitur Portel ad intentum, est loco citato num. 27. ante addiction. & ibi expresè tenet; *quòd spernere præceptum Superioris est ex natura sua peccatum mortale.*

359 Quia, licèt votum Obedientiæ aliquando non obliget ad obediendum præcepto, seu ad eliciendum actum precepti; obligat tamen ad non contemnendum Superioris præceptum; quia obligat, nè mandatum Superioris contemnatur. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. *Ad primum*: & ibi Cayetanus cum communi Doctorum. Cursus Salmanticensis, tom. 4. tract. 15. punct. 1. n. 54.

360 Immò contemptus effecit, vt qui aliàs, non obediendo, nec quidem venialiter peccaret, peccet, contemnendo præceptum, mortaliter; iuxta Divum Thomam ab om-

omnibus receptum d. quæst. 186. artic. vltimo, circa med. ibi: *Ratione contemptus aliquid efficitur delictum, quod non erat.* Contemptus enim cuiuſque præcepti, dato quòd præceptum etiam non obliget, præcipientis iniuria eſt, vt dixit Divus Hieronymus, relatus à Niconino in repetitione, cap. *Quoniam contra*, num. 718. de probationib. & ratione huius iniuriæ efficitur peccatum mortale, quod neque erat peccatum veniale.

361 Rem exemplificemus: Statuta Religionis, ex natura ſua, non obligant adhuc ad veniale; & tamen illa ex contemptu non obſervare, peccatum mortale eſt. Vnde aiebat Geminianus in cap. *Vnum moratorium*, §. *Criminis*, num. 11. 25. diſtinct. & Felinus citatus à Sperello, deciſ. 113. num. 61: *Quòd omittens confiteri peccata venialia, tametſi non peccet; ſi tamen ex contemptu omittat, mortaliter peccat.*

362 Et quamvis lex conſilij non obliget, nec illam tranſgrediens aliquod peccatum committat, per text. in cap. final. 14. quæſt. 1. & ibi Gloſſ. Et in cap. *Quis autem* 11. diſtinct. 10. & in cap. 1. & ibi Abbas, & Felinus, n. 2. Cardinalis in Clementinam primam, num. 1. de ſepultur. Geminianus in cap. *Generali* num. 11. & 12. Tamen propter contemptum efficitur res præcepti: vt qui illam tranſgreditur mortalitèr peccet. Gloſſ. in d. cap. *Quis autem.* Et ex communi ſententia Canoniſtar. & Theologor. Sperellus, deciſ. 113. num. 66.

363 Nec recurrere valent P.P. Conſultores ad contemptum materialem, qui quidem non diſtinguitur à non obedientia, ſeu inobedientia: *Quia Conſultores contradiſtingunt contemptum ab inobedientia, & affirmant, quòd potuit impunè ſpernere præceptum, aut ſaltèm non obedire.* Vnde loquuntur, non ſolùm de contemptu materiali, ſed etiam de contemptu formali: dictio enim *ſaltèm*, ſubſidiaria eſt. Ex cap. *Statutum*, §. *Cùm verò*, de reſcript. lib. 9. Caſtrenſis, conſ. 79. incip. *Pro pleniori*, num. 7. verſ. *Contrarium*, lib. 1. Barboſa diction. 355. num. 1.

364 Et etiam, quia aliud eſt contèmnere, & aliud non obedire, & ſola inobedientia non includit contemptum ab illa contradiſtinctum. Per Gloſſ. in cap. de libellis in verb. *Convincatur* 20. diſtinct. & ibi Geminianus ad finem. Felinus in cap. 2. *Si quis* ſub num. 7. de maioritat. & obedientia; & in cap. 1. ſub num. 22. de Conſtitutionibus. Sperel. d. deciſ. 113. num. 3. & 58.

365 Contemptus enim contradiſtinctus ab inobedientia, includit non ſolùm tranſgreſſionem præcepti, ſed etiam cauſam, nempe vt proptereà id fiat, quia Superiori ſubijci renuit; vel eo fine operatur contra præceptum, vt oſtendat, ſe nihil facere Superioris mandatum. Divus Antoninus in Summa, part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 9. Alphonſus de Caſtro, de poteſtate legis pœnalis, lib. 1. cap. 5. document. 6. Cordova, in Regulam Sancti Franciſci, cap. 10. quæſt. 3. punct. 2. paulò poſt initium. Sayrus, in Clavi Regia, lib. 3. cap. 7. num. 16. Valentia, in prim. 2. diſputat. 6. quæſt. 5. punct. 6. Leſius, de Iuſtitia, & Iure, lib. 2. cap. 7. dub. 1. num. 2. Navarrus in Manuali, cap. 23. num. 42. Azor, atteſtans de commun. Inſtitution. Moralium, part. 1. lib. 4. cap. 9. quæſt. 15. Ob quam rationem dixit Curſus Salmanticenſis, tom. 4. tractat. 15. cap. 6. punct. 5. num. 54. ibi: *Hinc eſt, peccare ſemper mortaliter Religioſum, ſi ex contemptu Regulam, & Superioris iuſſa violet.*

366 Si ergo *Contemptus* (vt ait Leſius, de Iuſtitia, & Iure, lib. 2. cap. 41. dub. 9. ſub num. 74. verſ. *Cenſetur*:) *non niſi in malignum animum poteſt cadere, Inſtituti ſui, & Iudicij, auctoritatiſque Eccleſiæ, qua Inſtitutum eſt confirmatum, & poteſtatis Superiori traditæ contemptorem*: Et cum Leſio conſonant Curſus Salmanticenſis, loco citato, ſub num. 54. in fine; & Sperelus, deciſ. 113. num. 63. quomodo non ex maligno animo procedet illa propoſitio affirmativa, & Regularis diſciplinæ deſtructiva: *Quòd P. Victoria potuit impunè ſpernere præceptum?*

367 Deſcendunt ab iſta altitudine temeritatis, dicentes: *Aut ſaltèm non obedire.* Sed neque hoc abſque peccato potuit facere P. Victoria. Præceptum enim iuſtiſſimum erat in ſe, & ex cauſa, propter quam impoſitum fuit, nempe, propter diffamationem plenè probatam, & propter Crimen incontinentiæ commiſſum Valentiæ, pluſquàm ſemiplenè probatum. Ex non aſſignata cauſa præcepti, non ſequitur, hoc præceptum fuiſſe nullum, vt probatum

tum manet à n.122. vsque ad n.132.& in specie docent Tamburinus, de Iure Abbat. tom. 2.disputat.21.quæst.12.n.5. Bordonus, tom.2.resolut.58. num.46. Fr. Antonius à Spiritu Sancto latè in suo Directorio, tractat.3.disputat.6. sect.1.n.118: quia Prælatus non tenetur suis Subditis reddere rationem de omnibus, præcipuè, quando patet, licitum esse id quod pręcipitur.

368 Et quamvis dictum pręceptum includeret reclusionem; adhuc esset validum, & obligatorium, non assignata causa aliqua; quia licèt Fr. Antonius à Spiritu Sancto suprà citatus num. 136. doceat: *Quòd non tenetur Subditus obedire, si præcipiatur ire in carcerem, non assignata causa talis carcerationis*: hoc est verum de carcere dato in pœnam, vel imposito ad aflictionem; non verò de carcere dato in custodiam; & à fortiori, nec erit verum de pręcepto reclusionis, ex quo minùs lęditur Subditus. Sic se explicat Fr. Antonius à Spiritu Sancto, num.138. ibi: *Ergò cùm in omnibus his carcerationibus grave nocumentum inferatur Subdito, semper debet assignari causa carcerationis; nisi carcer adhibeatur in custodiam, & persona sit valdè de crimine suspecta; & de delicti veritate apud Prælatum satis constet, vel per manifestissima indicia, vel per testem omni exceptione maiorem.*

369 Et quamvis augent P. P. Consultores gravamen ob timorem maioris comminati, ibi: *Accedente gravissimo, & fundamento timore maioris gravaminis fulminati*; habent paratam satisfactionem ex num. 145. quia absque gravamine actuali non potest dari appellatio à gravamine futuro.

170 Tùm etiam, quia illa comminatio gravaminis allegata per P. Victoriam, debebat iuridè probari, & Rmus P. Comm. Generalis debuit citari, & audiri, vt fieret rectum Iudicium, an comminatio Rmo P. Comm. Generalis à P. Victoria imposita, esset vera, vel falsa. Passerinus, Tribual. Regular. quęst. 32. num. 15: aliàs enim non potuit rectè iudicari in causa appellationis, & recursus; cùm contra inauditum nulla sit resolutio.

371 Deinde, quia timor gravaminis non sufficit ad recursum, adhuc quòd adsit probabilitas futuri gravaminis; sed requiritur moralis certitudo, quòd Prælatus gravabit Subditum iniustè; ex doctrina Ameni in Pract. Criminal. tit.2. §.3. num.56. ibi: *Tertiò, quod sit moraliter certus de gravamine iniusto, quod sibi eventurum est à tali Iudice, & non sufficit, quòd periculum talis gravaminis sit probabile, vel dubium.*

372 Et tandem, quia vt comminatio gravaminis faciat præsumptionem contra Iudicem, à quo, debet esse orta à persona, quæ solita sit minas exsequi; aliàs nihil probat. Amenus, tit.2. §.3. num.54. ibi: *Minæ istæ debent esse graves, & ortæ ex gravi causa, & de recenti, & à persona, quæ sit solita minas exsequi, ad hoc vt inducant præsumptionem legitimam.* Debuit igitur P. Victoria probare, non solùm Rmum P. Comm. Generalem illum minatum fuisse; sed etiam, quòd sua Paternitas Rma solitus sit minas exequi.

373 Ad versiculum, *Constitutiones*, respondetur; etiam nos supponere tanquam certum, Constitutiones Pontificum, & Ordinis Statuta, solùm prohibere recursum temerarium, aut ex levi causa factum. Ob quam rationem asserimus, prohibitum fuisse P. Victoriæ recursum cùm nullum gravamen grave, aut leve, iniustum ex Obedientia pateretur; vt in secunda parte probatum manet.

374 Et quia, cùm posset illum carcerare, vel formaliter recludere, iuxta probationes ex Processu informativo resultantes, solùm illi dedit Obedientiam regularem: & hoc non est gravare, sed iuxta leges misericordiæ, & pietatis procedere. Expressè Bordonus, tom.5. in Praxi Criminal. cap.90. num.5. in fine, ibi: *Quid, si mitiorem pœnam imponat transgressori, omissa maiori, & graviori præscripta in regula? Nunquid dicitur excedere? Et sic detur locus appellationi? nequaquam. Ideò enim datur appellatio contra excessum, quia talis excessus est gravamen, quod re vera hic assignari non potest, dum non gravat eum, sed cum eo mitiùs agit.* Verba textualia sunt hæc ad nostrum casum: si enim Rmus P. mitiùs egit cum P. Victoria; non illum gravavit, & per consequens, non erat locus appellationi, nec recursui.

375 In versiculo, *Constito*, inferunt; quòd cùm de innocenti P. Victoriæ à Conventu suæ reclusionis egressu constet, omnia alia ad talem egressum sequuta habere paratissimam, & legitimam solutionem: quia ex nullo alio capite Apostasiæ notam, vel excommunicationis censuram incurrere potuit; & cætera gravamina illi imposita facili negotio convincuntur.

376 Sed videamus Consultorum facilitatem in liberando Patrem Victoria à pœnis, & ab incursu novæ Apostasiæ! Illorum facilitas hæc est, scilicèt, Patrem Victoria licitè confugisse in Domum Domini Castellani, quia ad illum accesit, tanquàm ad personam privatam, vt illius interpositione, & auctoritate propitium haberet Illmum. & Rmum D. Nuncium, vt ipse pro P. Victoria Rmum P. Comm. Generalem deprecaretur. Citant Portel, in dub. Regularib. verbo *Appellare*; & absque citatione numeri, adducuntur verba Portelis sic: *Quando Religiosus, qui non appellaverit in forma iuridica ad Tribunal Sæculare, sed solùm à Principe petierit auxilium, vel favorem, non incurrit Censuram Bullæ Sanctitatis Gregorij XIII. quæ incipit: Quoniam nostro: in Bullario 27.*

377 Hæc doctrina Portelis non pro ipsis, sed contra ipsos est. Quia quamvis Portel, loco citato, verbo *Appellare*, in additione ad additionem, num. 2. doceat, recurrentes ad Principes pro favore, & auxilio, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ; concludit dicens, quòd si talis recurrens fuerit Minorita, licèt illam excommunicationem non incurrat, incurrit aliam excommunicationem latam contra Minoritas à Domino Paulo V. En illius verba: *Ex dictis sequitur, quòd Religiosus, qui non appellaverit in forma Iuridica ad Tribunal Sæculare, sed solùm à Principe, vel Prælato Ecclesiastico petierit auxilium, vel favorem; non incurret Censuram Bullæ Cœnæ: si tamen fuerit Minorita, incurret aliam excommunicationem Pauli V. latam contra Minoritas petentes favorem à Sæcularibus.*

378 Neque hæc instantia habet solutionem ex adductis à Consultoribus in versiculo *Nec obstat*, vbi asserunt, excommunicationem Constitutionis Pauli V. solùm esse latam contra Minoritas recurrentes ad Principes, vt remissionem alicuius pœnæ à suis Superioribus consequantur. Et adhuc necesse est, quòd talis pœna sit iustè imposita à Prælato, vt ipsemet Portel notat, verbo *Officia Ordinis*, num. 14. Pater autem Victoria recursum non habuit pro imploranda alicuius pœnæ remissione, sed ad favorem aliquem consequendum.

379 Hoc enim effugium est, & non solutio: quia, vt ipse Portel docet dicto loco in addictione ad addictionem, num. 2. in medio, Constitutio Pauli V. non solùm excommunicat Minoritas recurrentes ad Principes, vt aliquam remissionem pœnæ à suis Prælatis consequantur; sed etiam illos excommunicat, si pro favore aliquo obtinendo recurrant: hæc ibi: *Petentes favorem à Sæcularibus, vt intercedant coram Prælatis Ordinis pro sibi remittenda aliqua pœna, vel favore faciendo.*

380 Hoc ipsum prohibitum invenimus in Constitutionibus Generalibus Segobiensibus, cap. 6. vers. *Appellare*: & sunt verba expressa Motus proprij Pauli V. quem refert Portel, in dubijs Regularib. verbo *Officia Ordinis*, pag. 347. ibi: *Vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere.*

381 Auctoritas Donati relata à Consultoribus, tom. 1. tractat. 20. de appellationib. quæst. 23. num. 4. minùs bene allegatur: quia quæst. 23. duo tantùm continet numeros, & in dicta quæstione nihil ad propositum tractatur. Vbi Donatus de materia scripsit, est in quæst. 43. & ibi solùm loquitur de excommunicatione Bullæ Cœnæ; non autem in terminis Motus proprij Pauli V. contra Minoritas. Num. 4. eiusdem quæstionis 43. loquendo de Religioso iniustè gravato, resolvit, quòd posito casu manifestæ, & notoriæ opressionis, necessitatisque extremæ, poterit Regularis ad Præsidem Laicum recurrere, vt amicabiliter cum Prælato intercedat, illum rogando, vt à gravamine desistat; sed hoc non est ad propositum.

382 Et quamvis Portel, verb. *Appellare* in additione ad additionem num. 6. in eadem sit sententia pro Minoritis in terminis Constitutionis Pauli V. & Statutorum Segobiensium; addit tamen, quòd gravamen debet esse grave, & iniustum, & quòd tali Minoritæ, vt illud evitet, non suppetat aliud remedium, nec per appellationem, nec per recursum;

sum; quod non concurrit in nostro casu, in quo nullum fuit gravamen, si causa Obedientiæ consideratur. Immò Rmus P. Comm.Generalis magna cum benignitate se gesit, exequutioni mandando quod minùs potuit, iuxta materię circumstantias; & denique, quia Pater Victoria post acceptationem obedientiæ, nullum tentavit medium, sed omnibus omissis à Conventu suæ Obedientiæ fugit.

383 In versiculo, *In descriptis terminis*: tanquàm certum statuunt, quòd iustitia recursus non denigratur ex permanentia 54. dierum in Domo Magni Castellani; quia tot (dicunt) requirebantur ad spectandum fructum memoratæ interpositionis. Ad quod comprobandum, adducunt doctrinam Rodriguez, quæstion. Regular. tom. 1. quęst. 3. art. 3. Sed Rodriguez nec loco citato tale dixit, neque circa materiam alibi scripsit. Nullibi enim potuit Religiosissimus Scriptor prębere fundamentum, vt ex tam levi motivo intelligerent Regulares, sibi licitam esse tam diuturnam contra Obedientiam detentionem. Immò ex eius doctrina, tom.1. quæstion. Regular. quæst.30. art.2. contrarium apparet, ibi: *Omnis Religiosus, qui exit à Monasterio sine licentia Superioris, vel se celat, nè inveniatur, fugitivus est.*

384 Nec fundamentum Consultorum meretur aliquam considerationem; quia pręterquam vt cognosceretur fructus interpositionis, sufficiens terminus erat spatium 15. dierum, cùm tot, & non ampliùs necessarij sint, vt responsum, medijs Cursoribus, habeatur; quando tempus 50. dierum esset necessarium, adhuc propter hoc non posset effugere notam Apostasiæ: quia, si hæc esset sufficiens causa ad tam diuturnam detentionem, posset sic manere per plures annos, nempe, si Princeps esset apud Indos, quia tot anni necessarij essent, vt videretur effectus interpositionis. Et si hoc esset verum, ad quid Obedientia religiosa? Ad quid vita Claustralis? Certè ad nihil; quia omnia essent posita in voluntate, & potestate Subditorum.

385 Et non potest omitti; quòd P.P.Consultores nullam mentionem faciant Apostasiæ P. Victoriæ, ex eo, quia cùm debuerit recto itinere ire ad suum Superiorem, adhuc casu quo personalis recursus fuisset licitus, & permissus, ex num. 190. vsque ad num. 203. divertit se à recto itinere tam notabiliter. Prætermittunt etiam, quòd P. Victoria, postquàm petijt, & obtinuit absolutionem à sua Apostasia in Conventu Coronæ Valentiæ cùm proposito, & promissione redeundi ad Conventum suæ Obedientiæ, acceptoque grato socio, iterum sine aliqua nova causa fugit. Et istas voluntarias omissiones in narrativa facti evenisse cognoscimus, vel nè argueretur P. Victoria, vel quia factum cum talibus circumstantijs non poterant ab Apostasia liberare.

386 Ab irregularitate contendunt liberare P. Victoriam, propter Missarum celebrationem in Domo Magni Castellani de Amposta tunc temporis, nempe, quando erat publicè, vt Apostata declaratus, & nominatim excommunicatus à P. Guardiano Alonensi die quadam mense Decembris anni 1696. (vt patet ex testimonio ipsius Guardiani, & Discretorum Conventus facto die 10. mensis Ianuarij anni 1697.) iuxta præscriptum Statutorum Generalium; quo non obstante, dicunt Consultores, quòd Pater Victoria sic celebrando, *nec venialiter peccavit*; adducuntquè Azor, tom.1.lib.11. quæst.8. Sed hoc in Azor non inveni, cum perlegissem totum librum vndecimum, singulaque eius capita.

387 Sed falsitas huius propositionis ex eo convincitur, quia illa excommunicatio iusta fuit, & valida: tunc enim excommunicatio iusta dicitur, quando fertur à Superiore legitimo, ordine iuris servato, propter grave delictum. Ita omnes Doctores apud Salmanticenses, tom.2.tractat.10.cap.3.punct.1.num.5. Pater autem Victoria fuit publicatus excommunicatus, vt Apostata, vel fugitivus, à suo legitimo Prælato, cùm iam esset ex lege excommunicatus; factum autem legis, seu illius dispositio, semper pręsumitur iusta.

388 Et quamvis in interiori foro potuerit non esse Apostata, vel fugitivus; tamen in foro exteriori, & Ecclesiæ, vt Apostata erat tractandus, iuxta Statuta Generalia Ordinis, cùm discesserit à Conventu suæ Obedientiæ, sine licentia Pręlati. Et quando sententia excommunicationis non continet errorem manifestum, licèt verè non sit iusta, in foro tamen exteriori ligat, si res est dubia, & Reus se gerere debet in exteriori foro, tanquàm excommunicatus, nè quis in propria causa Iudex existat. Sayrus de censuris, lib. 1. cap. 17. n. 14.

So.

Sotus in quart. distinct. 22. quęst. 1. art. 3. conclus. 2. vers. *Secundo modo*. Enriquez, lib. 3. de excommunicat. cap. 15. §. 3. & cap. 21. §. 1. Sanchez in primum Decalogi, cap. 10. num. 54. Portel, dub. Regular. verb. *Excommunicare*, num. 22. Suarez de censuris, disputat. 4. sect. 6. n. 6. Bonacina, tractat. de censuris, disputat. 1. punct. 10. n. 11.

389 Quod procedit non solùm quando quis est dubius de iustitia excommunicationis, sed etiam quando pro se habet opinionem probabilem. Vazquez, Villalobos, & Turrianus, citati à Diana tom. 7. tract. 1. resolut. 133. vers. *Et idem docent*. Ioannes Praepositus, in 3. part. Divi Thomae, quaest. 1. de censuris in communi, dub. 9. n. 63. Reginaldus, in Prax. tom. 1. lib. 9. cap. 8. n. 165. Rocafull, lib. 7. de lege Eccles. cap. 5. n. 39.

390 Et licèt aliqui, loquendo de opinione probabili, contrarium affirment cum P. Spinula in Opuscul. de election. opinionis, disputat. vlt. section. 4. per tot: tamen haec opinio debet intelligi pro foro interno, non verò pro externo, & Ecclesiae. Diana coordinatus, tom. 5. tractat. 1. de excommunicatione, resol. 31. num. 15. ibi: *Nota verò, quòd, etiamsi standum esset opinioni Patris Spinulae, & aliorum negativae; procederet quidem in foro conscientiae, non autem in foro exteriori, in quo excommunicatus est puniendus, & vt talis existimandus.*

391 Bordonus, tom. 2. resolut. 78. num. 198. ibi: *Quando clarè constat, sententiam fuisse nullam, & invalidam, in hoc casu censuratus non tenetur timere, neque servare sententiam, quia illa non ligat, neque apud Deum, neque apud Ecclesiam, quae neminem iniquè, & contra Iustitiam ligat, quae vnicuique mandat servare ius illaesum. Dixi,* clarè, *quòd contingit in omnibus illis casibus, in quibus DD. conveniunt de nullitate sententiae, quòd si in opinione sit casus, & vtrinque sint DD. ita quòd opinionem reddant probabiliorem, vel aequè probabilem ex parte Iudicis; in foro Ecclesiae sententiatus tenetur timere, & servare censuram, quia tunc casus censetur dubius; in dubijs autem obediendum est Iudici, & Praelato.*

392 Villalobos, in Summa, tom. 1. tractat. 16. difficult. 11. num. 7. haec scribit verba: *Si el Juez pone censura, siguiendo opinion probable, ligarà, aunque, segun otra sententia, sea nulla; y no puede el Subdito hazer contra ella, aunque sea de opinion contraria.* Et notat Diana, dict. tract. 1. resol. 30. in fine, ibi: *Quod est valdè notandum à Iudicibus Laicis, quando excommunicantur ab Episcopis, licèt pro se habeant opinionem probabilem.*

393 Hoc diffinitum videtur ex cap. *A nobis*. 28. de sentent. excommunicat. ibi: *Iudicium Dei veritate, quae non fallit nec fallitur, semper innititur: Iudicium autem Ecclesiae nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere semper contingit, & falli: propter quod contingit interdum, vt qui ligatus non est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus.*

394 Non ergo propter probabilitatem excusari poterit ab excommunicatione; contrarium enim esset in maximam confusionem Ecclesiae, & in perturbationem ordinis hierarchici, vt optimè notat Valerius Reginaldus, in Prax. tom. 1. lib. 9. cap. 8. num. 165. ibi: *Ex contraria sententia sequeretur in Ecclesia confusio, & perturbatio ordinis hierarchici.*

395 Idem sentit Guiniparus, de Iur. Pontific. disput. 6. cap. 3. num. 45. ibi: *Contrarium asserere, esset nimis larga licentia, & multam confusionom, & scandalum generaret in Republica Christiana.*

396 Si enim propter probabilitatem opinionis posset quis excommunicatus à suo Praelato se gerere tanquam non excommunicatus, posset etiam excommunicatus in particulari à Concilio Generali Ecclesiae, si habet opinionem probabilem contrariam, se habere pro non excommunicato, quod in foro externo scandalosissimum erit; potest enim Concilium Generale cum opinione probabili aliquem excommunicare, vt docet Panormitanus super quintum Decretalium, de sent. excommunicat. cap. *A nobis*. 28. n. 2.

397 Rursùs, quia opinio probabilis non solùm non excusat ab excommunicatione lata ab homine in particulari, sed neque excusat ab excommunicatione lata à Iure, & in communi; qua de re egregiam Rotae decisionem habemus apud Mohedanum, decis. 3. de sentent. excommunicat. quam refert Sperelus, decis. 129. num. 28. vt ibi: *Quaedam Moniales Ordinis Praedicatorum admiserant ad Professionem Novitiam, nondum expleto probationis anno, contra dispositionem textus in cap.* Non solùm 2. de Regularib in 6. *fretae auctoritate Divi Antonini, Paludani, ac Sylvestri, gravissimorum Theologorum, qui dubioprocul probabilem conficiebant sen-*

sententiam, & nihilominùs Rotta determinavit, dictas Moniales incidisse in censuram, de qua in dicto cap. Non solùm; *quia poterant, & debebant consulere Canonistas, potiùs quàm Theologos: & ideò quamvis essent mulieres, illas, ex hoc capite, minimè excusari.*

398 Quod comprobatur ex resolutione Sixti V. apud Fagnanum in 2. part. primi Decretalium de bigamis, cap. *Super eo.* Vbi quęrit, an Episcopus potuerit cum sibi Subdito auctoritate Ordinaria, qui erat bigamus, dispensare, vt idem posset primam Tonsuram, & Beneficia simplicia suscipere, & Episcopus illa eidem conferre, provt de facto contulit.

399 Et quamvis pro se haberet Episcopus opinionem probabilissimam, quam tenent, & sequuntur Sanctus Raymundus relatus ab Archidiacono, in cap. *Lector.* 34. dist. Albertus Magnus relatus à Turrecremata in d. cap. *Lector.* post n.6. Divus Thomas in 4. distinct. 27. q.13. art.3. ibi: *Et ideò Papa potest in tali irregularitate totaliter dispensare; sed Episcopus, quantum ad minores Ordines.* Petrus de Palude in 4. distinct. 27. q.4. art.5. Ioannes de Friburgo, in Summa Confessorum, lib.3. art.3. de bigamis, q.12. Sylvester in verb. *Bigamia.* q.7. Petrus de Soto, de Institut. Sacerd. de Sacrament. Matrimon. sect.28.

400 Hostiensis, cap. *Super eo.* de bigam. & in Summa de bigamis, in finem. Sotus, in quartum, distinct. 27. q.3. conclus.2. ibi: *Licèt ad suscipiendos sacros Ordines maiores solus Papa id præstare valet cum bigamo, tamen ad suscipiendos minores, Episcopus dispensare potest.*

401 Et quamvis Episcopus pro se haberet hanc opinionem probabilissimam, concludit Fagnanus d. cap. *Super eo.* num.46. in fine, ibi: *Porrò cùm hic casus olim contigisset, etiam Congregatio Concilij ob prædictas rationes inclinaret, excusari posse Episcopum, qui primam Tonsuram, & Beneficium simplex suo Subdito vero bigamo Ordinaria auctoritate contulerat, nihilominùs Sixt. V. in Consistorio respondit, significandum Episcopo, ipsum esse suspensum à collatione Ordinum; item promotum incidisse in pœnas superius propositas.*

402 Apud Hispanos probabilissima reputatur opinio favens iurisdictionem Regiam circa recursus ad Regia Tribunalia prætextu violentiæ à Iudicibus Ecclesiasticis incussæ: conanturquè DD. recurrentes excusare à censuris Bullæ Cœnæ. Simancas, de Catholica Institut. tit.45. de Pœn. à n.34. Cayetanus, tom.1. tit. de auctoritate Papę cap. 27. vers. *Ad secundam rationem.* Angelus, consil.22. Capitius, decis.131. num.6. Cancer. lib.3. variar. cap.1. à n.61. plurimosquè referens Salgado de supplicat. part.1. cap.2. Et, hoc non obstante, Sacra Rota constanter tenet, taliter recurrentes incursos esse in censuris Bullæ Cœnæ. Rotta apud Bichium, decis.281. n.12. & decis. 656. num. 12. & decis.582. n.4. 10. & 13.

403 Neque excusabitur P. Victoria ex eo quòd sibi in conscientia constaret, non incidisse in peccatum mortale ex sua Apostasia, sive fuga; quia quamvis quis in conscientia cognoscat, non peccasse mortaliter in facto, propter quod excommunicatus fuit, & posisit tunc formare conscientiam suam, & opinari, se non incurrisse excommunicationem, ex Divo Antonino, part.3. tit. 24. cap. 73. & ex Sayro, de censur. lib.1. cap.9. num.4.

404 Hoc debet intelligi, ad plurimum, de sententia iuris, vel de sententia generali ab homine, vel à lege lata; non autem de sententia hominis promulgata in particulari, vt fuit excommunicatio, de qua loquimur. Navarrus, in Manuali, cap. 27. sub num.9. in fine. Reginaldus in sua Summ. lib.9. cap. 170. Sperelus, decis.105. num. 79. qui addit, ibi: *Tunc enim nimis absurdum, & auctoritati Clavium, ac Ecclesiasticæ disciplinæ admodùm perniciosum esset, quòd quivis excommunicatus se liberum ab excommunicatione existimaret ea occasione, quòd falsa causa deceptum Iudicem in eum excommunicationem pronunciasse, causetur.*

405 Hancquè eamdem sententiam sequuntur Divus Thomas, in quarto, distinct. 18. art.1. ad quart. Et ibi Paludanus, quæst.1. quæ vocatur communis secundùm Ledesm. in secundam quarti, quæst.23. art.4. fol. 337. Covarrubias, in cap. *Alma mater.* 1. part. reelection. §.7. num.5. vers.3. conclus. Corduba, lib.1. quæstion. quæst.43. in versic. *Opinio secunda.*

406 Gutierrez, tom. Canonicar. quæstion. lib. 1. cap. 4. sub num. 34. ibi: *Eamdem communem sententiam, quòd excommunicatus iniustè ratione causæ teneatur servare prædictam excommunicationem in publico, & secreto, aliàs incidat in pœnis Iuris, quamvis non privatur communibus suffragijs Ecclesiæ. Probat Victoria in sua Summ. titul. de excommunication. q. 7. & ita est tenendum, quamvis Cayetanus 2. 2. q. 7. art. 4. ad secund. teneat, quòd hic excommunicatus iniustè ratione causæ, quia innocens est, possit communicare sine scandalo, in secreto... Communis tamen sententia supradicta Doctorum in hoc est tenenda.*

407 Quod adeò certum est, quòd excommunicato in particulari non est standum suæ conscientiæ privatæ; vt nec quidem consilio, & opinioni Advocatorum suorum inherere debet, sed magis tenetur Iudici deferre. Sotus, distinct. 22. quæst. 1. art. 3. vers. *Secundo modo*. Enriquez, in Summ. lib. 13. cap. 15. §. 3. in fine. Sayrus, de censur. lib. 1. cap. 17. n. 14. & 15. Suarez, de censur. tom. 5. disputat. 4. section. 6. num. 6. Miranda, in Manuali Prælatorum, part. 2. quæst. 35. art. 14. ad fin. Diana, resolut. moral. part. 5. tract. 9. resolut. 29.

408 Asignansque rationem Sperelus, d. decis. 105. num. 8. ait, ibi: *Ratio discriminis est evidens; quando enim fertur sententia excommunicationis generaliter contra omnes tale quid facientes, tunc notitia peccati debet esse non in Iudice, sed in ipso delinquente, an id fecerit, necnè. At quando fertur sententia particularis adversùs aliquem, tunc peccati notitia est apud Iudicem, & Magistratum Ecclesiæ. Ideò non attenditur privata ipsius rei scientia.*

409 Ex defectu citationis non potest excommunicatio lata contra P. Victoriam vocari nulla: primò, quia ob crimen Apostasiæ obtinuit vsus, quòd citatio Apostatæ non præcedat excommunicationem illius. Sanctorus, de Pœn. cap. 1. pag. 29. vers. *Advertendum* 3. in fin. Amenus, tit. vlt. §. 7. num. 62. vbi inquit, quòd *Nec expedit citare Apostatas ad modum absentium*; si enim in prima refectione Apostatæ pronunciantur excommunicati iuxta Statuta Ordinis apud Sanctorum loco citat. in possibile est citare Apostatas; Statutum autem, vel lex semper præsumitur iusta. Argument. cap. *Erit autem lex*. distinct. 4. Sperelus decis. 48. n. 41.

410 Tum etiam; quia excommunicatio, monitione, vel citatione non præmissa, non est nulla, sed iniusta, & à fortiori timenda. Federicus de Senis, consil. 11. *Quæritur, an excommunicatio*: num. 1. & 7. vers. *Et propter hoc tolluntur*. Rotta, decis. 7. num. 1. de sentent. excommunicat. (in novis.) Fagnanus, in 2. part. quinti Decretal. de sentent. excommunicat. cap. *Sacro*. n. 17.

411 Et dato, quòd ex defectu citationis dicta excommunicatio esset nulla, cùm illa nullitas non esset notoria, timenda, & observanda erat excommunicatio. Angelus, in Summ. verb. *Excommunicatio*. lib. 4. num. 19. Sylvester, eod. verb. tit. 2. sub num. 1. & seqq. Francus, in cap. 2. sub num. 19. ad med. de sentent. excommunicat. in sext. Menochius, de Arbitr. Iudicib. casu 541. num. 29. Vazquez, de excommunicat. dub. 11. num. 23. Diana, resolut. moral. tom. 5. tractat. 9. resolut. 29. Mexia, in l. Regia Toleti, *de los terminos*, in 5. fundament. 2. part. num. 31. quod adeò certum est, vt etiam in casu notoriæ nullitatis, licèt possit excommunicatus in secreto, scandalo vitato, Missam celebrare, & etiam publicè, in ea solùm Regione, & loco vbi excommunicatus ignoratur, nec probabiliter creditur, quòd ibi citò divulgandus sit.

412 Tamen adhuc in hac notoritate addit Gutierrez, quæstion. Canonicar. lib. 1. cap. 4. num. 38. & 39. ibi: *Quod verum existimo, eo casu quo excommunicatus huiusmodi credit, nunquàm divulgandum, aliàs secus: si enim quamvis non citò crederet divulgandum non liceret ei, quia daret scandali occasionem: debet igitur constare notoriè secundum supradictos, de nullitate sententiæ excommunicationis, ad hoc vt ipsa non sit timenda, nec observanda.*

413 Covarrubias, part. 1. relationis ad cap. *Alma mater*. in 6. §. 11. vers. *Quartò ad hæc facit*, ibi: *Est igitur, attenta communi resolutione, distinguendum; an excommunicatio sit nulla, & tunc non ligat; an sit iniusta, & eo casu ligat, donec absolutio ab ea fuerit concessa, etiamsi ex falsa causa lata fuerit.* Licèt enim Iudex procedat ad excommunicationem ex testibus, scrip-

scripturis, aut falsa præsumptione, si non contineat sententia manifestum errorem Iudicis, ligat excommunicatio, & indiget absolutione, ita vt contemnendo illam, non solùm peccat mortaliter, sed incurrit pœnas à Canone inflictas excommunicatis. Panormitanus, in caput *Apostolicæ.* in fin. Covarrubias, ad dictum cap. *Alma mater.* §.7. vers. *Quarta conclusio.*

414 Et casu quo excommunicatio esset nulliter lata, quamvis possit excusari ab irregularitate contracta in celebratione, tamen propter temeritatem aliqua pœna debet puniri, quia in propria causa non debuit iudicare de iniustitia, vel nullitate gestorum ab eius Superiore, quoties non agitur de re omninò notoria. De Luca, de Beneficijs, discurs. 74. num. 9. ibi: *Quamvis enim ille, qui censuratus à Superiore celebrat, non sit immunis à temeritate, quæ aliqua punitione digna est, quoniam ad instar eorum, quæ habemus in materia attentatorum in spretum inhibitionis, non debet esse in libito Subditi facere se Iudicem in causa propria, ac iudicare de nullitate, vel iniustitia gestoram ab eius Superiore, illaque spernere, quoties non agatur de re omninò notoria ex clara notorietate facti, sine qua ista licentia nullatenus admittenda est; attamen non videtur id sufficere ad istam gravem pœnam ordinariam, si verè de censurarum invaliditate constet.*

415 Si ergo sententia excommunicationis, vel excommunicatio lata contra P. Victoria fuit iusta, & valida, observanda erat; & quamvis esset probabiliter iniusta ex defectu causæ, vel probabiliter nulla ex defectu citationis, timenda quoque erat, & observanda: & licèt quoad conscientiam P. Victoriæ iniustitia esset certa, certaque nullitas, cùm hoc non fuerit notorium, timere debuit, & observare talem excommunicationem, & tanquam excommunicatum se gerere in publico, & in secreto. Consequenterque contemnendo excommunicationem, peccavit mortaliter; & celebrando Missam, notoriè absque dubio incidit in irregularitatem.

416 In versiculo, *Accessus autem*, excusatur P. Victoria ab Apostasia, quia divertens se ad Neapolim, Romam non accessit recto itinere; dicunt enim, involuntariam fuisse illam deviationem à recto itinere; quia propter ventum contrarium non potuit in Portum Ecclesiæ appellere. Verùmenim consideratione dignum est, quòd omnia, quæ Authores damnant in Religioso ad suum Superiorem personaliter recurrente, omnia fecit P. Victoria, non solùm absque Apostasia, sed etiam sine peccato veniali.

417 Fugam ex Alonensi Conventu facere non potuit, quia præterquàm, quòd propter Obedientiam Regularem illi datam nullum gravamen patiebatur, talem Obedientiam admisit; ex qua admissione Iuri proprio renuntiavit; &, hoc noc obstante, illum excusant. Casu, quo recursus fuisset permissus, & licitus, debuit fieri statim, & recta via; & cùm ab hac se longaret 27. leucas, & in Domo Magni Castellani permansisset per dies 54. etiam illum excusant.

418 Quæsivit auxilium, & favorem à Domino Castellano de Amposta, & ab Excellentissimo Valentino Prorege, contra Motum proprium Pauli V. & contra Statuta Generalia Ordinis, & illum excusant ab excommunicatione, & à pœna. Cùm esset notoriè Apostata, & nominatim excommunicatus, Missam celebravit; & affirmant, quòd in hoc, nec peccavit venialiter. Petijt, & accepit absolutionem ab excommunicatione contracta propter Apostasiam, in Conventu Coronæ Valentiæ; & hoc tacetur. Egreditur ab hoc Conventu, vt ad Alonense Convetum properaret; & absque nova causa, & gravamine, secundò fugit; & quia hoc sub nullo prætextu cohonestari poterat, silentio præteritur. Ex quo licet inferri, quòd, etiamsi vsque adhuc vagans fugeret sine motivo, & causa, illum absolverent, & innocentem declararent, sine causa quoque, & motivo.

419 In hoc ergo Consulto sicut in omnibus & per omnia innocens publicatur P. Victoria, sic in omnibus declaratur culpabilis Rmus P. Comm. Generalis: & quòd intolerabile videtur, est illa propositio, cum qua Consulentium votum clauditur, ibi: *Reliquum esset, allegare super inauditis in Religione scandalosis gravaminibus publicandi prætensam Apostasiam P. Victoriæ, eo modo, quo practicavit Rdus. P. Comm. Generalis.*

Et

420 Et quæ sunt hæc inaudita in Religione gravamina? quòd videns Patrem Victoria, post primam fugam non recto itinere suum Superiorem adisse; quòd in Domum Magni Castellani absconditus permansit 54. dies, sub pretextu implorandi favorem; quòd demum restitutus in Conventum Coronæ Valentiæ, & ibi petens, & accipiens absolutionem cum promissione, & proposito redeundi Alonam ad Conventum suæ Obedientiæ, quod opere non complevit, sed ex ipso itinere relinquendo socium, iterum contra Obedientiam, & sine aliqua nova causa fugit, & apostatavit. Publicatus fuit excommunicatus ab Illmo. & Rmo. D. Nuncio, qui sub censuris mandavit, vt omnes qui illius notitiam haberent, manifestarent; & occultantes, & retinentes illum à suis domibus eijcerent, & suos Superiores admonerent, quod mandatum publicatum fuit Deniæ, Gandiæ, & Olivæ: vbi habet P. Victoria consanguineos, amicos, & fautores, & cum fundamento cogitari potuit, occultum esse in aliquo ex illis locis: & etiam publicatus fuit excommunicatus, tanquam Apostata, in omnibus Conventibus Provinciæ Valentinæ per litteras Patentes Rmi P. Comm. Generalis, vt manet dictum n. 65.

421 Hoc factum fuit, primò, ex auctoritate Bullæ Honorij III. quæ incipit *cùm secundum*, anno quinto sui Pontificatus, & directa ad ipsum Sanctissimum Patriarcham nostrum, quod Decretum relatum est in epitome Annalium Ordinis, tom. 1. anno 1223. num. 6. ibi: *Præter diploma confirmationis Regulæ, aliud Francisco dedit Pontifex, quo Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Prælatis, mandat, vt Ordinis desertores tamquam Apostatas, & excommunicatos non faveant, sed omninò devitent, & à Provincialibus, & Custodibus Ordinis requisitos, eos excommunicatos denunciari curent quoad Religionem reverti compellantur.*

422 Hoc sanctissimum Decretum Honorij III. confirmavit posteà ijsdemmet verbis Gregorius IX. anno duodecimo sui Pontificatus, & videri poterit in Monument. Ordinis tractat. 2. fol. 118. pag. 1.

423 Innocentius IV. in sua Bulla, quæ incipit: *Fratrum Minorum.* Pontificatus sui anno quarto, & habetur in Monument. Ordinis, tract. 2. fol. 37. pag. 1. in fine, & pag. 2. quæ directa est Venerabilib. Archiepiscopis, Episcopis &c. & illis mandat, ibi: *Vniversitatē vestram monemus, & exortamur in Domino, per Apostolica vobis rescripta mandantes, quatenùs nequis vestrum, vnde quis in peccatis moriatur, & Ordo huiusmodi detractioni subjaceat, sit occasio: discedentes, post professionem factam, ab eis, secundùm prædicta illius Ordinis Instituta, præsertim excommunicatione notos, ab ipsis evitetis omninò: quos etiam, cùm ab eisdem Ministris, & Custodibus fuerint requisiti, excommunicatos nunciare curetis.*

423 Deinde in tertium libr. Decretal. tit. 31. cap. final. 24. de Regularib. est textus expressus, ibi: *Si verò huiusmodi fugitivos, inobedientes, invenerint; eos excommunicent, & tam diu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.*

425 Concordat Prosper. Fagnanus. in lib. 3. Decretal. part. 2. tit. de Regularib. ad caput *Ne Religiosi.* n. 2. commentando illud verbum *Excommunicent*, ibi: *Præsidentis Capitulis celebrandis habere potestatem excommunicandi Abbates, & alios inferiores totius Ordinis, & faciendi excommunicatos denunciari.*

426 Et n. 16. §. 4. *Nota*, prosequitur, ibi: *Hanc obligationem, fugitivos, & inobedientes, excommunicandi, & denunciari faciendi, incumbere non tantùm his, qui Capitulis præsident, & Abbatibus Generalibus, seu Capitulis Ordinum, sed etiam Abbatibus, & Prioribus Localibus, seu immediatis Monasteriorum Prælatis.*

427 Hanc eamdem sententiam sequuntur Hostiensis, ad text. in C. final. de Regularib. n. 10. circa fin. in verb. *Excōmunicent.* Ioan. Andreas, in eod. verb. n. 15. Cardinal. n. 9. in 6. quæst. Abbas, in 3. & vlt. notabil. Archidiaconus, in Cap. *Abbates*, n. 4. & 18. quæst. 2. & ibi etiam Belamera, n. 2. Sylvester, in verb. *Apostasia*, quæst. 6. n. 10. Donatus, in Prax. tom. 1. tractat. 6. de Apostatis, q. 17. & tract. 7. de fugiti. q. 30. ibi: *Quæstio trigesima: si fugitivi redire recusant, an debeant ab eorum Prælatis excommunicari, & per Episcopum loci publicari? Respondeo affirmativè.*

Et

428 Et Lezana, tom. 1. c. 16. de obligat. Regular. ad manendum in Monaster. n. 16. postquàm retulit verba d. Cap. *Nè Religiosi.* final. de Regularib. ibi: *Si verò huiusmodi fugitivos inobedientes invenerint, eos excõmunicent, & tamdiu ab Ecclesiarum Prælatis excõmunicatos publicè nunciari faciant, donec ad mandatum ipsorum humiliter convertantur*, addit, ibi: *Quæ omnia innovata sunt à Sacra Congregatione Concilij iussu SS. Dñi N. Vrbani, edita anno 1624. Vnde licèt aliàs non essent in vsu, modò tamen non excusantur Prælati ab exequutione ipsorum.*

429 Habetur de hac re novissimum Decretum editum die 1. Martij, anni 1693. authoritate SS. Dñi N. Innocentij XII. & inter Constitutiones Capituli Generalis Victoriens. habetur impressum, vbi inter alia hæc habentur: *Quòd firmis, ac suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundum eam partem, vbi agitur de electis, & eijciendis, &c.* Et infrà: *Quòque ad præscriptam Legem sanctæ memoriæ Gregorij VIII. in cap. final. de Regularib. annuatim fugitivi requirantur, & respectivè cogantur ad Claustra reverti.* Nota illa verba *in cap. final. de Regular.* vbi expresè habetur, quòd ab Ecclesiarum Prælatis faciant Apostatas denunciare.

430 Iam mirari desinam resolutionem ficti Consulti: quia si hæc publicatio Apostasiæ, & excommunicationis P. Victoriæ, facta iuxta tam firma, & solida fundamenta, & in exequutione Decretorum Pontificium, & iuxta mandatum Canonici Decreti, & secundùm doctrinam doctissimorum DD. vocatur inauditum in Religione scandalum; quid mirum, inquã, sugillentur, & notentur, tanquam scandalosa, omnia alia Rmi P. Comm. Generalis facta, licèt sint tam iusta, & recta, vt ex dictis evidenter constat?

431 Sed si fictus Author Consulti haberet notitiam Iuris Canonici, & Regularis; non solùm non canonizaret recursum P. Victoriæ tanquàm legitimum, sed sequutus fuisset doctrinam Ameni in Practic. Criminal. tit. 3. §. 10. n. 54. ibi: *Si ergo Iudex, ad quem, cognoscit, nullã Reo fuisse causam appellandi, sed hoc fecisse ex mera malitia, vt nempè occasionem sumeret evagandi, aut Iudicem, à quo, diffamandi, vt iniustum, iniquum, &c.* (*vt fit à quibusdam perversis Religiosis, qui mille tricas, cavillos, iurgia, & centum huiusmodi pessimi Mercurij artes callent, fingunt, versant*) *istis nullus habendus est respectus: debent namque ad Superiorem, à quo, remitti ad Iuris totum rigorem puniendi, tùm super principali, tum super crimine mali recursus habiti. Et vtinam similis farinæ homines possent à Religione exterminari. Sunt enim Religioni exitio, Secularibus scandalo, Superioribus martyrio, Subditis patientiæ exercitio, publicæ paci inquietudini, & Regulari Reipublicæ confusioni.*

432 Ex dictis evidenter sequitur, P. Victoriá incidisse in Apostasiá, vel fugam, sine aliqua dubitatione, propter furtivum discessum à Conventu Civitatis Alonæ, à quo, iuxta Obedientiam illi datam, non poterat recedere; quia nullum propter datam Obedientiam, relatã n. 44. patiebatur gravamen, cùm data sit ob diffamationem incontinétiæ plenè probatam, & particulare crimen plusquàm semiplenè probatum per quatuor testes ante celebrationem Capituli, & per consequens ante intimationem Obedientiæ, (Nunc autem illud crimen commissum Valentiæ, & duo alia eiusdem speciei alibi commissa, probata manent ex attestationibus quadraginta duorum testium: & quamvis aliqui ex ipsis contrarium auctoritate privata deposuerint, constat iuridicè ex Informationibus noviter receptis, aliquos revocasse dicta propter graves minas illis inflictas à Canonico Vincentio Victoria, fratre P. Iacobi Victoriç.)

433 Quia propter diffamationem, & particulare crimen modo quo ex Actis probatum resultabat antequàm Rmus P. Cõm. Gen. iuberet illi intimare Obedientiã, poterat illum carcerare ad custodiam, vt patet ex n. 89. vsq; ad n. 109. quia Obedientia P. Victoriæ data, cum omnibus suis modificationibus expresis, adhuc erat Obedientia regularis, in nulloque gravabat: ex num. 123. vsque ad num. 126.

434 Quia talis Obedientia, propter non asignatam causam non erat minùs obligatoria sub peccato mortali; quia causam talis Obedientiæ non debuit asignare Rmus; & si illam deberet asignare, esset casu quo illam P. Victoria peteret, ex n. 127. vsque ad n. 137. & à n. 263. vsque ad n. 266. à qua Obedientia non poterat appellare adhuc in casu quòd esset formaliter præceptum reclusionis, vel decretum carcerationis ad custodiam, ex n. 138. vsque ad n. 145. quia quamvis Obedientia contineret gravamen, erat iam liberè acceptata, & per consequens ab illa non poterat appellare, minùsque personaliter recurrere, ex num. 146. vsque ad num. 154.

435 Quòd Pater Guardianus Alonensis iustissimè illum, vt Apostatam, & fugitivum excommunicatum denunciavit, ex n. 156. vsque ad n. 159. quam excommunicationem, & Apostasiæ delictum confessus fuit petendo, & recipiendo absolutionem ab excommunicatione in Conventu Coronæ, ex n. 163. vsque ad n. 167. Quòd protestatio facta à P. Victoria in Conventu Carmelitano Alonensi non potuit illum liberare, neque ab Apostasia, neque ab excõmunicationis publicatione, ex n. 168. vsque ad n. 174. quia casu, quo propter Obedientiam pateretur aliquod gravamen, erat gravamen reparabile per diffinitivam, à quo non datur appellatio, ex n. 175. vsque ad num. 180.

436 Incidit P. Victoria in Apostasiam, quia quamvis recursus fuisset illi permissus, & licitus, fieri debuit, eundo recta via ad suum Superiorem, & non tam notabiliter declinando; ex n. 193. vsque ad n. 203. Incideret quoque in Apostasiam, adhuc supposito recursu legitimo; quia per spatium 54. dierum detentus mansit in domo Castellani, cùm debuerit recursus fieri statim, hoc est, sine notabili mora, & detentione; ex n. 190. vsque ad n. 202. Nec recursus ad infirmitatem, qua (vt dicitur) tenebatur, illum excusat: quia talis infirmitas fuit ficta, & prætextata, & contrarium fuit Valentiæ omnibus notorium, ex n. 204.

437 Quòd celebrando Missam in domo Magni Castellani, vt celebravit cùm esset Apostata denuntiatus, & nominatim excomunicatus, peccavit mortaliter, & incidit in irregularitatem, ex n. 387. vsque ad n. 412. Quòd fugiendo de novo absque motivo, causa, aut gravamine, postquàm voluntariè absolutionem accepit à prima fuga in Conventu Coronæ, fuit secundò fugitivus, & Apostata, ex num. 211. & 212.

438 Sequitur quoque, Rmum P. nostrum Commissarium Generalem in omnibus secundùm metas iustitiæ, & misericordiæ processisse; in nulloque P. Victoriam gravasse, nec signa adhuc minimæ dedit malevolentiæ, immò expressissima signa benevolentiæ, & pietatis: quia cùm posset ipsum à voce suspendere, & à Capitulo excludere, nec suspendit, nec exclusit, ex n. 78. vsque ad n. 85. quia cùm posset Capitulum celebrare die 27. Octobris, distulit illius celebrationem vsque ad diem 28. prolongando vnum diem integrum assignationem Capituli, vt Pater Victoria maneret sic cum honoribus Patris Provinciæ.

439 Quia cùm posset illum iustissimè carcerare, ex num. 89. vsque ad num. 109. illum non carceravit, nec reclusit, solùmque dedit Obedientiam Regularem, ex num. 110. vsque ad num. 114. declarando, talem Obedientiam Regularem esse, & nihil aliud continere; quæ declaratio erat sufficiens ad reponendum gravamen præcepti, adhuc supposito, quòd in præcepto contineretur gravamen, ex num. 344. vsque ad num. 351. Neque propter solemnitatem intimationis Obedientiæ in scriptis coram testibus per Secretarium Generalem potuit extrahi dicta Obedientia à sua regularitate; neque in tali solemnitate gravamen considerari potest, ex num. 326. vsque ad num. 334. Quòd publicando illum vt excommunicatum per Litteras Illmi, & Rmi Domini Nuncij in nullo gravavit, nec hóc est inauditum in Religione gravamen, cum fuerit factum iuxta Pontificum Diploma, Decreti Canonici præceptum, & Doctissimor. DD. sententiam, ex num. 411. vsque ad num. 420.

440 Sequitur vltimò, quòd Consultum & sententia est ficta, falsa, & nulla. Incredibile enim videtur, quòd doctissimi Consultores, & iustissimus Minister Generalis Consultum darent, & sententiam proferret, non visis Actis Causæ, Reverendissimoquè P. Comm. Generali inaudito; quia preterquàm quòd hoc est nullum, est contra Statuta Generalia Ordinis, vt constat n. 232.

441 Et etiam expressè contrariatur Sacris sanctionibus Concilij Tridentini, Sess. 24. cap. 20. de reformat. cap. *Ecclesi.* de elect. cap. *Venerabilib. de sent. excomm. in 6.* Vbi cùm quidam ab Episcopo appellasset ad Archiepiscopum, respondit Papa, ibi: *Quòd conveniendus est ipse suffraganeus* (id est, Episcopus, à quo appellatum fuerat) *coram Archiepiscopo, quia ipsius interest defendere causam suam.*

442 At in nostro casu Rmus P. Minister Generalis, & Patres Consultores (si Consultum, & sententia esset vera) nec viderunt Acta Processus iussu Rmi P. Comm. Generalis formati, neque ipsum Rmum Patrem audierunt, vt posset significare causas, ob quas Obedientiam dedit P. Victoriæ, vt maneret in Conventu Alonæ, quamvis dicta Obedientia appelle-

pelletur reclusio: & per consequens Consultum, si est verum, est nullum, & nulla sententia, si vera data est.

443 Nec relevat dicere, quòd viderunt Informativum, & testes productos à P. Victoria; quia hoc non est audire Rmum P. Comm. Generalem, à quo fuit appellatum, sed audire Patrem Victoriam, & causas ab illo propositas; non verò audire motiva, & causas, quas habuit Rmus Comm. Generalis, vt iura petunt: hincquè totum, quod apud Rmum Patrem Ministrum Generalem Romæ factum est (si factum est aliquod) nullum debet reputari, vt in simili docet Portel. *In Responsion. Moral. l. 2. casu 1. n. 17. & 18.*

444 Et quando (per impossibile) sententia vera esset, poterit Rmus P. Comm. Generalis ab illa appellare iuxta doctrinam Ameni, *in Pract. tit. 3. q. 2. n. 89. circa fin*: habet enim ius ad tuendam suam Dignitatem, & honorem in Consulto denigratum, ibi: *Librent ergo Superiores maiores, & maturum Consilium adhibeant, omni passione seposita, in iudicanda causa Subditi appellantis. Arbitria iusta dent semper Superiori, quorum potior debet esse ratio favore disciplinæ Regularis: sed vbi arbitrium non habet locum, quia evidens est Iustitia, iuxta illam iudicent, nec respectum habeant, sivè Superiori, sivè Subdito. Quòd si Prælatus cognoscens de causa appellationis evidenter iniustè iudicat, & gravet, vel Superiorem localem ipsius auctoritatem contra Subditum non sustinendo, vel Subditum, iustitiam illius contra Superiorem localem non defendendo, poterit vterque super illo gravamine, aut appellare, aut recursum habere ad Superiorem Generalem; vterque enim habet ius ad tuendam dignitatem, sivè indemnitatem suam.*

445 Quo in casu spectare potest Rmus P. Comm. Generalis, quòd Sacra Congregatio Eminentissimor. Cardinal, re (vt solet) maturè considerata, & iustè perpensa, revocabit sententiam, cùm in veritate ipsius facti, & ex iure constet, esse nullam quocũque tempore detur. Vniversusquè Orbis cognoscet, Rmum P.N. Comm. Generalem rectissimè, prudentissimè, iustè, & misericorditer egisse in omnibus cùm P. Victoria, illumque in nullo gravasse. Sic sentio, salva semper &c.

D. B. Attanasius Paulus Solis.

ERRATA, QVÆ, NOTATV DIGNA, TYPIS IRREPSERE.

NVm. 78. lin. 14. de Postulat. Regular. *lege*, de Postulat. Prælator. Num. 129. lin. 26. Si causam petat, *leg.* Si causam non petat. Num. 273. lin. 1. factum, *adde*, deliberatio. Num. 348. lin. 31. *A se toto*, leg. *Asse toto.* Ibid. *Si de falsid.* adde, *ff. de legat. 2.* Num. 363. lin. 22. lib. 9. *leg.* lib. 6.